

HYMNUS DE FEBRIBUS

Scriptus ab

EDMUNDO GAYTONO,

Bacc. in Med. Oxon. Academiæ S. Joan. Bapt.



LONDINI,

Imprimitur â Thomà Warreno propter usum Reipublicæ Medicæ & Authoris.

1655.



Honoratissimo Domino

GULIELMO

Marchione de

HARTFORD,

Academiæ Oxon. olim Cancellario & suo:

Fortis & Inclyte,



INdulgentiam *vestram* si antea non expertus fuissem, de veniâ desperandum esset, ut manibus Dignissimis properari auderet opus *Shacciatum*, & *Tessulatum*, carminibus & prosâ miserè mixtum intertextum, & variegatum. Sed ut *Josephi vestis*, sic charta discolor, scio, non Tibi displicebit. Puduit sanè me

non ante hæc tempora ſcripſiſſe quicquam oculis, & Animo Conſummatiſſimi *Herois* dignum, quanquam & non dedignatus fueris accipere ridendas noſtras de *Hiſpano milite Errante* nænias & nugas. Verùm à quo Orationem *veſtram* Celeberrimam,& ſtylo & elocutionis gravitate inſignem in *Convocationis* domo prolatam audiverim, eo ipſo *veſtro Die*, quo *Patronatum* Muſarum, & *Cancellariatus* impares titulos, Cathedrâ quidèm, & purpurâ, tùm Ancillari, tùm maternâ illuſtris, ſed virtutibus & titulis propriis illuſtrior recipere, & recipiendo attollere dignatus fueris, in Animo, & Inſtituti longi fuit aliquid ſaltem Alumno, ſaltem ſervo & Bedello tanti *Cancellarii* idoneum,& non ineptum Compingere. Et Spero,*Diis ſimilime Domine*,etiam ſicut ipſe *Deus* facit, te quoq; Animum & voluntatem pro operibus accepturum. Fretus ergò Humanitate, & Comitate notiſſimâ, *Hymnum hunc medicum de Febribus*, (quatenus

nus ad ipſos, qui extra verſus ſunt, morbos, ne tangerent (quatenus ad morbos & crimina, quæ in ipſis verſibus ſunt, ut tangerentur, ut manibus Regalibus tacta ſanarentur) humillimè conſecravi & dedicavi. Auſpiciis *veſtris*, & *Medica Clientela* donatus *Hymnus*, forſan non profanus, non ſaltem vanus audiet. Legetur forſan lectus prius ab *Apolline* Muſarum, protegetur à *Marchione*. Quid dubitem de *Patrono*, in quo utraq; *Minerva* felicitèr Conjungitur, ſive *Galeata* ſit, ſeu *Togata*? Aures digniſſimæ ne amplius vapulent ſtridore *noctuæ* (ſed *Athenarum* veſtrarum) ſe ſuaſq; noctes, & lucubrationes non *Atticas*, nec *Aſiaticas*, ſed *Erraticas*, *Protectioni*, & *Patronatui* veſtro ſubmittit,

Heros Nobiliſſime,

Serviens ad Medicinam,
& ſervus veſter.

Edmundus Gaytonus.



Lectoribus, clarissimis Medicis salutem.

Salutem, Benevoli, *plusquam Opusculum spondet, optat vobis Autor, non enim in hoc Hymno, & Cantico Medicinæ Excantare morbos Animi est, & Philtra, & Carmina pro Remediis componere. Nec quidquam novæ Artis doceo, nec hactenus traditis addo.* B conum *non hic legetis, & novi* Organi Instauratorem, *nec vobis* Atlantidem, *& inventa Aurea propono: Sed ne homo insanire videatur (id est otio torpescere) versus facit, & Medicinam, sicut Ingeniosissimus, & Poeticæ Artis refertissimus* Naso *olim* Leges Romanas *& Fastos) in pedes, & Numeros (vestigiis longè sequentibus) coegit. Quare de* Febribus *scripsi, quæritis? in Tempora Febricitantia incidi, & heu vereor, ne Sequens ver laboret plusquàm Quartanâ! Cur placet Rithmicus stylus potiùs, quàm solutus, si Rogatis? Respondeo,*

----Ridenda Poemata mallem,
Quam te conspicuæ divina Philippica Famæ.

Satyram *non scribere* difficile est; *& Animus meus jamdudum proscripturiit.*

----nec me Juvenalem constat haberi.


Si demum interrogabitis, cur tantum de Febribus cecini, Fatebor ingenuè, si supellectilem Librariam vidissetis, satis hoc operis opinaremini. Duos enim celeberrimos Autores mecum rusticanus habui, Alterum

rum

rum Riverium *Medicum Doctiſsimum, parentem & Profeſſorem Artis ſalutiferæ, Nominis æterni. Alterum* Smetium, *ſed Nominum plurium. Prior Praxi & Conſiliis Medicinæ, & quantitati doſium familiaris, & feliciſsimus: Poſterior quantitati Syllabarum mihi commodiſsimus. Cætera auxilia Scholaſtica (ſicut Ager, & Fundus meus non eſt) ſunt in* Capite? *Surrepta ſunt Reliqua, manet occiput cujus Beneficio (ut memoriæ ſedis) Lectiones* Domini Scarboræi *Anatomicas,* Anglici Riolani, *Teneo, Teneo quid docuit* Magiſter *defunctus (ſi poſsit mori à* circulo Sanguinis, *ad* circulum æternitatis *tranſmiſſus Harveius) Conſilia etiam, & documenta aliorum* Medicorum *Capio, quos ſequens Hymnus, non ad juſtum meritorum, & laudum ſuarum faſtigium attollit. Satis ſuis nominibus, & Fama claris viris non opus erit præconio, & Nomenclatione indignâ & impare. Dedecoravit* Principem Henricum *Anniverſario Concionator inelegans. Sic contigit mihi, Domini Celeberrimi, dum aliquid vellem veſtris nominibus tribuere, attentando, & recitando perdidi, & miſeras has chartas, quas nemo Autore magis damnat, & vituperat, Ergo Cenſuram iniquiorem non Timeo, Legite, & Carpite*

Volenti, & αὐτοκατακρίτῳ non fit injuria
ſervo veſtro

Edmundo Gaytono.



In Hymnum de Febribus Edmundi Gaytonii sui.

DElphica sic tremulos promunt Oracula Cantus,
Atq; Deus numeris forsitan Aius ait.
Indulget fidibus Medicæ consultus Apollo,
Idem utriusq; Autor dirigit Artis opus.
Edocuitq; herbas Magnus præceptor Achillem,
Emeritum postquàm conticuisset ebur.
Quid quòd enim blando pulsata Tarantula cantu,
Amittit vires mox furibunda suas:
Quòd Saulem stimulis licet infernalibus actum,
Jessiadæ mitem Barbitos icta dedit.
Quin Artes, Medæa, tuæ sine Carmine frigent,
Languet Pluma, strygis, trux Aconiton hebet.
Attamen experrecta olim sopita viget vis,
Carmine quam magico solicitavit Anus.
Nam tu Gaitoni, quam suspiciende Camænâ,
Tàm spectande Venis Arte Machaoniâ
Mitte proinde, salerna, Diætæ tradere Normam;
O Schola, discipulis olim animosa Tuis:
Cedite Pergamei scriptores, Cedite Còi,
**Majus quid prælum hoc parturit Hippocrate.*

* Nollem hoc scriptum mi Bonhame. Lipsius de Tacito ubi aliquid iniquius de numinibus scripserat, Histor. l. 1.

Bonhamus Tribunus Militiæ Cantiorum.

ATtulit è cœlis quæ Gaytoneius, Alba
Anglorum fundit Carmina Salvificâ:
Protrahat ut plures ægris mortalibus annos
Depellit mortem longius Arte meâ.

S. S. T. Th. D. O.

Amico ſuo Edmundo Gayton. M. B.

[illegible]

SI tibi quis vitio vertat, graſſentur in orbem
Quùm morbi, edoceas ſolito velocius ire,
Macte eſto tamen, & cum tu qui Febribus ipſis
Ipſe pedes dederis, medicinæ des quoq; eoſdem.
Ut quibus occurrunt morbi, medicina parata
Succurrat præſtò, male ſanus qua ferat ægrè.
Sicq; pedes reddat labentibus Ars Tua firmos,
Filius ut bino vociteris nomine Phœbi.

Lyonellus Gatford. S. T.B. C.

In Hymnum de Febribus a Gaytono meo Scriptum.

GAleni qui scripta legis tot dissita libris,
Effata & Coi Suspicienda Senis,
Cujus pauca arctant sensus tibi verba profundos,
Dum vitæ longæ *Consulit* Arte brevi:
Hunc lege, qui binas sociavit Apollinis artes,
(Quem novit Carmen, quem Medicina Deum)
Cantando videas pulsas de Corpore Febres,
Verbaq; sacra, ubi non profuit Herba, valent.
Abjice, quæ vetulæ suspendunt Carmina Collo,
Quemq; simu gestes hic tibi morbus erit.
*Jam minus arridet scio *Gattinaria, Gayton,*
Datq; probata aquè, sed placitura magis.

* Consilia quædam Medica vid. Heur. de Arte Med.

G. G. S. Th. P. O.

Ογδόστιχον in *Hymnum de Febribus.*

ARs Medica à Febri jacuit correpta, carebat
Ipſa ſalute ſalus, & medico medicus:
Horrebant animis Podalyrius, atq; Machaon,
Ignari, horror quid corporis iſte foret
Non ſunt ulterius medicorum opprobria Febres,
Gaitono medicas nunc adhibente manus.
Jam medicina valet, medici vos pendite ζῶστρα,
Jam valeat Febris, Lector & ipſe vale.

Franciſcus Aſtonus *Scholæ Weſtmonaſterienſis alumnus.*

Amiciſsimo ſuo E. G. M. B. in Hymnum de Febribus.

JAm cedat Thorius (paulò majora canamus)
Ille quod inſtituit vendere, Fumus erat.
Tu, quod non Fundus, non æris acervus & Auri,
Nec ſpecioſa Domus perficit, Ipſe facis:
Scilicet ægroto depellis corpore Febres,
Et ſanum, lectis verſibus, eſſe jubes.
Inſanos olim Veteres dixere Poetas:
Sed Tu, Gaitoni, Carmina Sana facis.

Non nigro Carbone notandus.

Ad clarissimum juxta, ac Poeticum Amicum, E.G. in librum, cui inscribitur, Hymnus de Febribus.

Igne Miser crucior; sed non jam sentio flammas,
(Turba Poetarum hec catera) Phœbe tuas.
Igne calet pectus melioreq; scilicet ipsam
Nunc habeo (Librum dum lego, Amice) Febrem.
Nec tamen est medico mihi opus, qui Pharmaca scribat;
Sola mihi Carmen nam medicina tuum est.
Tu tribus Antyciris caput insanabile curas
Carminibus: caveas, ne videare Magus.
Te vatem, & medicum, lauroq; saluteq; dignum
Arbitror; unam omnes dant, aliam opto, tibi.

Philogeyton Osbolston.

In Hymnum de Febribus Carmen Salernitanum.

CUm vidi Edmondum, *de Febribus anteà nondum*
Auditum, in Cantu, Scripsisse; Salernicus *an Tu?*
Vel Rithmos * *Samos facis, ut canit* Ignoramus,
Cùm Dominam Blandam tentabat rem dare quandam?
Hoc dixi vanè, sed mentis jam magè sanæ
Te scripsisse bonis (non attamen usq; * *Nasonis*
Carminibus dignis) In-Nasus sit tibi, Signis
Quamvis Romanns, *persensimus, atq; probamus.*
Fac scribas tutè, pereas ne forte Nasute,
Ut periit frater, qui & versu, & febre Crematur,]
Binis plethoris pessundatus, artis, amoris.
Ne malè Contingat; dum saltem sic tibi Fingat,
Versibus ob Fatum sit, dosi cuiq; probatum.

Robertus Thomsonus.

**Samos--pro (eosdem) verbum Teutonicum, in paucis, vel nullis Grammaticis inveniendum, nisi Ignoramicâ, vel Coriaticâ. Exemplum cæpi ab antiquo autore apud Cant. Habebis singula Brava.*

**Nasonis--Hic Fateor, brevior est, quàm versui congruit Nasus---sic Paulò post nasutus.*

In Hymnum de Febribus Carmen Hoskinskianum.

Vixisset utinàm Owenus!
Vel, Hoskinsius, *rithmi Plenus*
Thomæ Coriati:
Huc calamos tulissent leves,
(Pedes longos, sive Breves)
De te parum fati.
Hæ perierunt longum Avenæ
(Calamitosæ sunt Camœnæ)
Unde Fit, Hirundo.
Et Totum Syn-&-Occiput
Hos versus inficetos, ut
Præferrem ipse Tundo.
Sed Quid is Salernitanus
Vir procax satis, sed & vanus
Te Commemoravit?
Dulmanior quàm Dulmannus
In versa pov're, tanquàm pannus,
Tibi, putas, Favit.
At versificator, Ego,
Diætam talem tibi Nego,
Nôsti satis escam,
Ne quæso viris capiare,
Qui stultè solent sic profari,
Gigne aliam Deskam.
Sed Dùm Tu Febribus Mederis,
Es Doctor meus, & sic eris;
Sed Favore Tuo,
Si Libro tantùm verba dabis,
Et nos (ut mos) Ludificabis,
Posthac sumus Duo.

Thomas Swallow.



De Ephemera.

MOtibus externis, vel Mentis *Ephemera* facta,
Cùm poris clausis prenditur ipse calor.
Cùm nihil excretum, cùm transpiratio nulla,
Incendunt fragiles flumina capta domos.
Atq; *Ceres* , nimiusq; nocet *Semeleius* * infans,
Filius & Terræ *Sal*, & *Alumen* obest.

* Bacchus.

Signa *Ephemeræ*.

Signa sui Pulsus magnusq; celerq; , frequensq;,
Systole magna, calor, Cyncipitisq; Dolor.
Non multùm *Urinæ*, nil monstrat, prospiciendum,
Sit nisi cruda parùm, Nausea certa premit.

Remedia.

Sumantur cum fontis Aquâ Limonia, quæq;
Frigore nativo nobilis herba juvat.
Solvetur placido Sudore reconditus Ignis,
Et prodest calidis abstinuisse locis.
Passio si morbum creat ulla, Famesve, Dapesve,
Suavis ab opposito stat Medicina suo.
Et prodesse potes, si causa, *Catharmate*, detur,
Fortè aliter vomitus, Forsan *Enema* juvet.

De *Syncoho* Febre.

Non exhalatâ longè *Fuligine Sanguis*
Quando torretur, Synocha Febris adest.

Signa.

Indicat hoc nobis *facies Rubicanda, Tumescens*
Vena, dolensq; caput, Mentis adempta quies.
Et citus, & plenius *pulsus, spiramina* tarda,
Et motu nimiùm *Tempora* læsa gravi.
Corporis & *Torpor*, tollensq; *Urina* colorem
Plus solito, & semper par sibi Febre *calor*.

Remedia.

Sanguine lustrandum, *Galeni* non tamen ampla
Copia complacuit, Sæpe, parúmq; fluat.
Sed Clystere priùs recreetur corpus, & herbas
Collige, queis virtus frigida, laxa & inest.

Notæ.

In Synocho Sanguinea, quia oritur ex prædominante, & putrescente in venis Sanguine, Galeno *placuit Phlebotomia usq; ad Deliquium.* Riverius, *Doctissimus Medicus, aliiq; recentiores cursum moderatiorem sequuntur, quibus uberrima quidem Sanguinis missio, sed iterata melius arrisit. Tùm* Gallici *tùm* Hispani *Medici in verba Principis Medicorum jurati in sectione venæ luxuriant plùs nimis, at tantis viris nisi veniâ datâ non fas est displicere: Præsertim infantulo, & inchoaturo in Medicinâ, modestia convenit, non autoritas, & Dogma.*

Rec. *Julep. è decocto hordei, cichoreæ, acetosæ lactucæ addito Syrrupo Limonii. Satis Dosis est pro medico poterida. Redeo ad pedes, ne in manu mea longiùs hæreatis, nam & in scribendo & medicando felicissimum arbitror, quod celerrimum.*

De

De Hecticâ Febre.

Non * *divinare est nomen Componere?* juxta
Naturam morbi, *Nomen*, & ἕξιν, * habes.
Febris (ut in tectis cum sæpe incendia vastant,
Spes a continuo linquitur igne minor)
Hectica, sic Fabricam cum invadit Corporis omnen,
Fortius oblongo in membra calore furit.
Sanguine quæ accenso, rabidisve *humoribus* ardet,
Migrabit, fœlix nobiliore situ.
Hectica, *Nessæo* quasi vestis tincta cruore,
Hæret, & Herculea est non removenda cute.
Est Morbi triplex gradus: Ignis in humida sensim
Involat, & rorem carpit, editq; parùm.
Obsta Principiis, * *Agitur res tum tua*, nam mox,
Pabula sufficient vix caro, vix & adeps.

* *Ausonius* in epigrammate de *Meroe* anu bibula.

* Scil. in habitu corporis pravo consistens.

* *Horatius.*

Notæ.

A Febribus, quæ in Sanguine ab humoribus putridis generantur, minus periculum, quia medicaminibus facilior & promptior operatio, in mala mobilia quam quæ solidis partibus inhærent. Nam fortissima corpora consumet, & inaniet Hectica chronicus & habitualis Morbus, Sanguinis in principio prædatrix. Secundus in carnem & Adipem, quas sensim lambit, ut æger. se febrire non sentiat. Tertius est congressus pessimus unde morbo victoria est, cùm Hectica in Membranosam, & Fibrosam Corporis partem furit, & incurabilis est.

Causæ Febris Hecticæ.

Hujus & esse potest communis causa priorum,
Sol, nimiusq; *Labor* Corporis atq; animi,
Immodici fluxus, ubi venter *Tormine* nullo
Solvitur, aut quando *Sanguinis* amne fluit.

Singula non repeto, ſed forſan *viſcera* læſa,

Et cor accendunt ulcera ab igne ſuo;

Cùm malè *Pulmoni*, *Jecorive* ſit, inde *vapores*,

Atq; à corrup â parte maligna lues:

Febre ſed ardenti, quæ pabula cordis opima

Devorat, à nocuo provenit igne malum.

Notæ.

Ephemera & Synochus *neglecta deſinit in* Hecticam *quæ tamen à parvis principiis, & cauſis externis oriri poſſit, vel à* Diarrhæâ, *& Dyſenteriâ corpore continuis fluxibus macerato. Item ab Inflammatione* Hepatis, Pulmonum, *aut Diaphragmatis, Febres contagioſæ exoriuntur, præſertim ſi aliqua pars Parenchematis corrumpatur, & putreſcat. Sed cauſa Principalis, & idiotica, eſt* Febris Ardens, *& peſtilens*, humidum *Cordis celerrimè prædatura.*

Signa Febris Hecticæ.

Cauſæ Communes, ſic & communia Signa,

In primis gradibus par ſibi Febris erit:

Forſitan areſcit plus Tactu Palma, caleſcit

Ut ſolet, *Urina* non nimiuſq; color.

In fundo ſi *Farra* vides, oleumq; ſupernè,

Diſſolvi ſenſim corpora plus liquidò eſt.

Si ſub *Ventriculo* ſentitur *Pulſus*, apertum eſt

Signum, ne cures cætera, Febris adeſt.

Si cava ſubducant ſeſe inter *lumina*, Sphæras,

Si *Squalor* facie, ſi *maciéſq;* ſedet,

Hei Tibi, quod nullis dolor eſt medicabilis herbis!

Namq; *Maraſmodem* rara ſecuta ſalus

Notæ.

Si Farrinacea *in Sedimento* Urina *ſit*, *& oleoſa Supernatent*, colliquatio *partium portenditur. Sed ſub* ventriculis

culis Pulſus *in omnibus* Hecticis, *& emaciatis reperitur ut* Criterion *certiſſimum: Hectica tertii gradus* Maraſmodes *dicitur, ubi prævalente morbo æger ad* Sceleti *miſerandam figuram redigitur & morti prodroma eſt, quæ quaſi ſedem ſibi non ineptam paratura, in exucto, & exenterato Corpore (carne & tegumentis omnibus ſpoliato) regnare, & dum ità vivitur, ſi vita ſit dicenda, incipit & auſpicatur ; Sed--*

Turpiùs ejicitur, quàm non admittitur hoſtis.

Naturæ ergò diluculò, & à Principiis, laboranti vel læſæ leviter, ſuccurrendum, ne vires eundo colligat ignis latens, ſed ſerpens, & vix viſibilis, ideoque plerumq; neglectus. Remediis igitur refrigerantibus & humectantibus utendum eſt---------dum vires ætaſq; ſinunt. *antequam adipoſâ, & carnoſâ ſubſtantiâ corporis à valentiore Febre invaditur.*

De Remediis.

Explorare prius,quàm tentes Pharmaca,debes,
  Febris an affligit *Sola, Simulne* venit
An ſociam junxit malè gratam *Putrida*, ſive
  Ex *Inflammatâ parte*, locove dolor.
Pectora ſunt Plures tunc admittentia curas,
  O Medici ; & morbus poſtulat omnis opem.
Atq; prior Febris tollenda *Catharmate* Putris,
  Aut rupto Humores inde * Canale fluant ; *Sanguinis.
Hectica ſi ſimplex, ſit maxima cura Diætæ,
  Hos cupe, qui inſtaurant, quiq; foventq; cibi.
Et quibus eſt ſuccus demulcens, plurimus & ros,
  Et minus *Elixis* carnibus *aſſa* juvant.
Et *Piſces* proſunt, tenerâ qui carne fruuntur,
  Nec fœdis fluviis quiq; natare ſolent.
Pelamis, & Gobius, Mullus, Soleæq, Fluentis
  Percaq, Deliciæ, cui *quoq; nomen olet.*
Fructibus atq; inſunt ſua commoda, *Pomaq;* præſtant,
  Et ſucco ſi qui frigidiore juvant.
Et cum difficilis ſpiratio pectore fixa eſt,
  Uva ſit Hiſpano *Paſſa* lavata mero.

Limaces

Limaces coƈti, dum coƈtrix firma facultas,
Queiſq; placet potius frigida cella, boni.
Frigida corporibus contuſis Semina, & herbas
Miſce, his cottidiè juſcula coƈta cape;
Frigida pro potu, vel quo ſint *Hordea* merſa,
Saccharo, & *immixto pane* bibatur Aqua.
Gelatina juvat, vituli de poplite coƈto,
Et cape Caponem, cui removetur adeps,
Juſcula ſic fiant, cum ſex Albumine *Ovorum*,
Sacchari & ad libram junge ſalubrè crocum.
Excipe tùm vaſis, poſtquàm colata fuerunt,
Et de concretis ſume, diuq; cape.
Frictio pro motu mollis, ſomnus medi-ocris,
Et *Venerem*, & fugias noxia vina velim.
Accedant hilares ægro ſuper omnia vultus,
Qui turbant animum ſint procul ira, dolor.
Alvus reſtiterit ſi pigrior, utere *malvis*,
Et quæ Clyſterem *Caßia melq*; parant.
Cum medicina tibi vel quæ *Refrigeret*, aut quæ
Humectare poteſt, *Humida* tuta magis:
Frigida ne extinguant pereuntem forte calorem,
De *Sale prunellæ* junge *ſcrupoſq*; duos.
Lactis (ſeu *vaccæ*, ſeu præbent ubera *Capræ*,
Sive *Aſinæ*) ægrotis proderit omne genus.
Balnea Decoctis, quæ facta ſalubriter, herbis,
Altheâ & malvis, Sunt magè tuta *meris*.
Corpus inunge ſtatim poſt *Balnea*, vel *violarum*,
Sive *oleo*, quod nux Thracica dulce facit.
Et ſale quod nullo torretur, ut igne, *Butyro*,
Juſcula caponum, cumq; quievit, edat.
Si fluat immodice, frænandus, ut aſſolet, Alvus,
In quo Lacte *Chalybs Stiptica* coƈta fuit:
Vel tu *Cydoneæ* conſervas, ſive *Roſarum*,
Lac & *aquam* fontis quàm bene mixta bibe.

Notæ.

Notæ.

Si complicata ſit cum putridâ Febre Hectica, vel alio morbo, attendendum utriſq;. Purgatio inſtituenda eſt vel venæ ſectio, ſi cauſa detur, & ægrum conſtet Sanguine abundare, & proprio fluxu non vexari.

In Hecticâ ſimplici Humectantibus & Refrigerantibus præcipuè opus eſt, ita ut refrigerantia non excedant, & impar ſit medicaminibus calor nativus.

Elixa & juſcula magis tuta ſunt Aſsis, quæ facillimè in choleram vertuntur: Inter juſcula, quæ de carnibus promptiſsimæ concoctionis fieri debent, ſcil. vitulo, Caponibus, vervecibus, Perdice *& ſimilibus) uſurpanda & coquenda ſimul Semina frigida majora, etiam* Borago, Portulaca, Acetoſa, Endivia *cum ſaccharo Albo in aquâ Fontanâ &* hordei *crociq; aliquantulum cum ſucco limoniorum.*

Valdè ſalubres ſunt Paſſulæ Dyſphoniâ, *quæ* Hecticæ *familiaris eſt, laborantibus, & merſas vino generoſiore multùm prodeſſe compertum, quanquam ad coercendum vim laxativam, quam habent, ablutas aquâ endiviæ, bugloſſi, & roſarum, & leniter coctas addito ſaccharo potiores eſſe cenſendas, & manè & poſt ſingulos paſtus ſumendas.*

De limacibus à Doctore Philippo Parſons *medico & in Medicina expertiſsimo & celebri Inſtitutore noſtro: Recepi in ſubterraneis locis degentes conſumptis corporibus eſſe ſalubriores, & ſalſedine abſtergenti præditos licet, tamen ad nutrimentum multùm conferre.*

Rec. *Decocti pro Enemate* 8 *oun. Syrupi violarum* 4 *oun. meris Aquis id eſt frigidis; ut mos eſt calidioribus Regionibus, Tutiora ſunt Balnea quæ fiunt herbis Refrigerantibus, & emollientibus ſimul decoctis.*

In Fluxibus uſitatis & Hecticæ frequentibus præter dictas Roſarum & Cydonearum *cum lacte & aquâ fontanâ conſervas, adjiciatur* Saccharum, *& ad ſaporem gratum efficiendum ſuccus excellentiſsimus* Aurungiorum.

De Febribus putridis continuis.

Ut gaudere poteſt, nato cui *Juno* favebat,
Fortis & exultet ſorte parente ſatus.
Naturæ pullus cum lætæ naſceris Albus,
Incumbit,ſerves ut benè parta tibi;
Deſtruitur multò citius, quàm conditur,ædes,
Unius atq; horæ Crimen adultus homo.
Utq; opus annorum flammis incendia perdunt,
Sic urbis Dominus, Febre peribit Homo.
Dum focus aſſueto decoraverit igne Caminum,
Lætus fumiferis ædibus Hoſpes adeſt:
Si conclave petit, lectoſq; *erraticus* ignis,
Æneia fuge tùm, *Pergama* tota ruunt.
Si calor ingenitus præſcripto fomite ludit,
Atq; in nativam non ſurit ignis Aquam,
Omnia ſuccedunt placidè, ni devius Ignis,
Et malus, impuro Corda vapore premat.
Et facit ut juſtò plus ardet nobile membrum,
Et pro *vivifico* rore venena daret:
Uritur *Sucalegon* tùm totus, *Fonte* Caloris
Infecto à venis, vena Cremata luit.
Ut pice depaſtus terrâ diuturnior Ignis,
Sic longam Febrem putridus humor alit:
Sed quando *Satyros* imitatur, ſive *Capellas*,
Et calor *alternis Saltibus* ire parat,
Tunc aliud Febri nomen, vicibuſq; novatis,
Intermiſſivus dicitur ille Calor.

Diviſio Febrium putridarum.

Qui vapor à venis vitioſi ſanguinis afflat,
Cor, eſt præcipuè febris habenda tibi,
Sed quæcunq; lues *corrupto viſcere* manat,
Cumq; halitum ſpirant ulcera fœda ſuum.
Si mala *Pleura* vomat, ſeu *Pulmo* eructat iniquum,
Symptoma eſt Febri, nomen & inde trahit.

Proteus

Proteus at quando morbus, variatq; figuras,
Et nunc *igne* furit, nunc *Achelous Aquâ*,
Tunc diversorum meritò ratione Dolorum, &
Temporis hinc *Desultoria* Febris erit.
Quando *paroxysmis* cursus brevis accidit, & te
Cottidie invadunt, *Cottidiana* cluit.
Sed si congressum suspendit subdolus ardor,
Pugnat & alternis, *Ternio* dictus erit.
Sed cum *cunctando terrenus destituit Rem*,
Mentitæq; viros enecat Arte fugæ,
Sive recursantem caprum, seu respice *Parthum*,
Certior à tergo *Quarta Sagitta* nocet.
Sanguinis urentis prior Impetus, *Alter* in *Igne* est,
Sed *liquido à Barathro*, & *Sulphure quartus* adest.

Causæ variæ Putridarum Febrium.

Constipata cutis, crassoq; humore *Canalis*
Sanguinis obstructus, cum remeare nequit
Transitus occlusus, vel si via detur, eundo
Inficit, & fœdo Corda vapore premit.
Aëre vel spurco, multoq; labore, ciboq;,
Proxima de primâ hinc *causa Remota* datur.

Causæ Cotidianæ.

Ut cum limosâ tectus latet ignis in undâ,
Tunc in aquis, quamvis spernitur, æstus inest.
Hic, quia materies corrupta meabilis, ægro
Affert iste fluor *Cotidiana mala.*

Causæ Tertianæ.

Fit cum bile mala putrescit vena Cavata,
Nec benè digestus stagnat acetq; cruor.

Causæ Quartanæ.

Sanguinis at quando *pars Crassior* accipit ignem,
Et lento repetit, grandius inde malum.
Hæret quippe *cavâ* * lento *Quartana* Calore,
Cui longas faciet *mens inamœna* moras.

* Vena.

Signa Febris Putridæ.

Huic celer, & magnus *Pulsus*, Matulæq; peritus
Omnia *Cruda* videt, Tum *Calor Acris* adest.
Ventriculo Cholerâ Demerso *Nausea* primùm,
Mox *vomitus*, index *linguaq; nigra* tibi.

Signa Cotidianæ Febris.

Urinæ facies est *Turbida*, *Aquosaq*; & *Alba*,
Mox Ruber, & pulsus tardior, atq; minor.
Sudor adest rarus, tenuis quoq;, si *sitis ulla*,
Occupat hoc somnus, nec placet esse Cibos,
Cum non ejicitur detentus *torpidus humor*,
Occupat inclusus frigida membra vapor.

Signa Tertianæ.

In *fundo sine fæce*, sed Acrior, & quasi flammæ
Est color *urinæ*, Lingua *sitimq*, notat:
Et citus est, pulsusq; frequens, calor esuriensq;
Et bilem stomachus bile refertus agit.
Quæ malè conclusa est *Mesaræis* torrida *venis*,
Et Furit, ut non est q. â Data porta ruat.

Signa Quartanæ.

Hic *Medius* bilem est inter calor, & pituitam,
Sævior *undosâ*, *fervidiore* minor.
Sic *sitis* accedit, & plus minus *arida lingua*,
Languidior primò pulsus eundo valet:

Principio *Urina* est Tenuis, mox discolor, aret
Corpus, & est vultus Fusca Figura Tibi.
Frigida Temperies & sicca, & passibus æquis
Pergere non morbum *bilis adusta* finit:
Fitq; liene Tumor, si fluxu Sanguinis infrà
Fit via, salvificum; sin minùs, inde malum.

Signa Causi, seu Febris Ardentis.

Nomen ab igne venit, torretur Corpus ab æstu,
Et calor admotâ non superandus aquâ.

Signa Elodis.

Febre madent liquidâ, metuant ægriq; resolvi,
Seu Matula exhausta an Corpora sudor habet.
Dividit officium *Cacodæmonis* utraq; *Febris*,
Illa *ignes* ægros injicit, Hæc in *aquas*.

Signa Febris Syncopalis.

Syncope de Medio tollit, mox deficit æger,
Naufragium patitur Phlegmate mersus homo.

Signa Epialæ.

Hoc velut *antiquum Chaos est, Humentia siccis*
Parte Unà, & pugnant *Frigida cum Calidis.*
Igne carere nives rebar, sed *Phlegmate bilis*
Conspirat, varius nascitur unde dolor,
Pars calet humoris cùm Putridi, & altera friget,
Nec *satis ad mortem bina venena* valent.
Par huic *Tartareus* benè gurges dicitur esse,
Qui sociat calido cum *Phlegetonte* gelu.

Signa Febris Horrificæ.

Horrificæ major quamvis in nomine terror,
Non cholera affligit, non Pituita simul.
Sed *Causo* similis flagranti, Qualis *Elodes*
Terribiles præstat frigore, & igne vices.
Quid miseris fiet? cùm succedaneus hostis,
Tam telis gravibus dimicat Igne, & Aquâ.

Signa Assodis.

Assodes Causi est ardentis dira propago,
Quæ de se stomachum provocat ire foras.
Ventriculoq; gravis, qui non par ferre dolorem,
Dispergit calidum corpus in omne malum.

Signa Febris Colliquantis.

Elodis de stirpe satam Febrem esse *liquentem*
Guttatim, & *sensim* membra soluta notant.
Instar *Fusoris* prædatur noxius Ignis,
Sed de marcenti *nulla metalla* cute.
Ni forsan *mortis cudatur* dira *figura*,
Et *naulus* fiat *Tabe Charontis* homo.

Notæ.

Inclusa materia morbifica in venis Mesaraicis, Cavâ, *&* Portâ (*præsertim* Tertianâ *&* Quartanâ *sævientibus*) *varios dolores cordi infligit, at quò propinquior humoris maligni aditus, eò magis malè est cordi, & acerbationes vehementes, & paroxysmi periculosiores accidunt.*

Febres Symptomaticæ *dicuntur, quæ fiunt à* Pulmone, Hepate, Liene, Diaphragmate *ulceratis, & vitiatis*; *Quæ Symptomata vel Febri accidunt vel superveniunt, & sæpissime ipsâ Febre sunt graviora: Qualia sunt* Dolores capitis, Vigiliæ, *&* Deliria, *& Inflammationes in* Pleuritide, Peripneumoniâ,

ripneumoniâ, Hepatide, *&* Pthisi, *quarum Putredine inflammatâ, & Pure disperso, & per Communionem vasorum Cordi Communicato, varia Febrium Continuarum genera oriuntur, nempe Causus, Colliquans, Horrifica, Assodes, Elodes &c.*

Febres Intermittentes *dicuntur, quæ variis Temporibus, nec constantèr, & perpetuò ægrum affligunt, & ob materiam morbificam vel expeditiores, vel tardiores (sed ideò acerbiores)* à Bilis flavæ *vel Atræ prædominantis Copiâ, vel Pituitæ accensæ velocitate Quotidianæ, Tertianæ, & Quartanæ nominantur.*

Si Sanguis *potissimùm accendatur*, Sanguinea, *si Bilis*, Biliosa; *si fœculentior & crassior pars Sanguinis inflammetur*, Melancholica *dicitur.*

Notandum insuper est, Quod licèt tota massa Sanguinis in venis uno nomine Sanguis appellari solet, Quatuor tamen Humorum mixturæ & combinationes in eo flumine Feruntur. Pars magis Temperata Sanguis, Calidior Bilis, *crudior, & frigidior* Pituita, *Fœculentior & Crassior* Melancholia *dicitur, & ex Putrefactis hisce, & prædominantibus humoribus species Febrium continuarum nascuntur.*

Ex causis etiam externis Febris Putrida plerunq; accidere potest, videlicet aere æstuoso, laboribus inediâ, nimio studio & passionibus animi acerbioribus, quæ magnam habent in spiritus vim: Sed à cacochymia Sanguine in venis Putrescente frequentiùs causatur: Illiusq; causæ sunt ea omnia, quæ humores malos multiplicare assuescunt, presertim Hepatis *calida & sicca Temperies, alimenta calida, præcipuè Corpora vino se indulgentia supra modum, magis obnoxia sunt;* vinum *enim spirituosum Sanguinem citissimè accendit & corrumpit.*

Febris Cotidiana a Barbaris Latica *Nominatur, quòd ejus calor latens, & tectus videatur. Habens enim materiam Frigidam pro vehiculo, non adeo visibilia & aperta signa, sicut aliæ à* bile Flavâ *natæ, proferre valet. Ergò exacerbationes cotidiè emittit, sed languidas, sed subitò (nisi neglectæ fuerint) Remediis trivialibus cessuras.*

Quartana quarto quovis die intenditur, & fit à Sanguine

fæculentiore,

Fæculentiore,& crasso,rarißimè in Galliâ *contigit, ubi aeri, qui pro medico constante & præsente est, tribuenda Febris non Residentia. In nostris verò, a sole remotioribus ditionibus, & hiemem sibi affinem & cognatam patientibus, plus quàm grata, familiaris est : non est nisi sexagenariis mortifera,& lethalis,attamen vestigia focalia imprimit, & quasi ad mortem ante discessum notat, & affectos designat : nam quos semel ceperit, præsertim tempore brumali, sicut est in quo scribitur, ut* poëtæ, Poëtæ *verbis uti, fas sit.*

Horatius. -----tenet, occiditq; Morando.

De Remediis in Febres Putridas.

Non temerè tentanda *Triplex Medicina* priusquàm
Cui mox obstandum, Cognita causa fuit.

De Diætâ,

Et dabit auxilium, quæ læserit ante, *Diæta*,
Possibile est *Modicâ* vivere posse *Fame*.
Materiam præbent generosa alimenta Dolori,
Nec quantum injungit *Lesseius* êsse licet.
Vivitur Exiguo meliùs, natura valescens
Contenta est minimo, infirma minore parùm.
Et *Lex de minimis* curat *Galenica*,ne quid
Admissa in se per- atula mortis habent.
Nil *veniale* venit Medico, nisi plurima *Phœbas*,
(Ægris mors duplex,) jam venialis erit.
Veniales Animæ quibus & *Lucina* negavit,
Ut Thalamos ultra sit Medicina suos.
Fœmineo generi tribuuntur ? non, *Rapiuntur*
Propriæ quæ Maribus, Frendit Apollo rapi :
Indignatur anus miseras ambire fugacem,
Iratusq; herbas Devovet ipse suas.
Altera *Pandora* est *vetulæ* subi *magine* missa,
Vrinale tenens Pyxidis inq; loco.
Hinc morbi morbis cumulantur, *Tresq; sorores*
Quæ parcunt nulli, sunt *anus*, atq; *Avia* :

In cædem numerus satis est, superestq; Dualis,
Si addideris *Parcis Tres furiasq; tribus*:
Colchide quidni etiam *magicâ* didicêre *magistrâ* *Scil. Medæa.
Ut perdant pueros, ludificentq; senes:
Putrida quas capiat; Dum te cibus *Hordea Munda*,
Vel *Panatellæ*, Lymphaq; potus alat:
Si dolor acris adest, frugalibus utere mensis,
Ptisanam, si sis lautus, *utramq; cape*.

Chirurgica, & primò De venæ sectione.

Sanguis quamprimùm *mittendus*, ut exeat humor,
Libera, cum *tundis*, sitq; dolore *Dies*.
Brachia dextra placent pro venis, Proficit icta
Basilica, haudq; refert an *Mediana*, fiet.
Syncope si affligit, prius haud est vena secunda,
Quàm *Clystere* Alvi dempta saburra fuit:
Non ad *Deliquium Priscis* uti *Moris* erat, sed
Tutius est, Sanguis si repetitus eat.
Displicuit medicis sed venæ sectio paucis,
Quando *Ardens* Febris, *Ternio* quando premit.
Hocq; *Avicenna* docet, ne *Bilis Sanguine, fræno* &
Custode Amisso, ferveat inde magis.
Antiqui *Salvo* semper *Doctoris honore*,
Plus est ægrotis, quàm decet, iste metus.
Detumet, & languet diffuso Sanguine Febris,
Torrentis laxi Robora fracta cadunt.
Seriùs inventum est, (nec enim simul omnia nota)
Naturam Medico, plusq; cavere sibi.
Si vires constent, si Sanguinis Impetus icto
Infectus tantùm proruet ire cruor.
Sicut *in Armentis*, *Cervus* sibi prospicit *ictus*,
Conscius illæso Deseriturq; grege,
Portio sic refugit, quæ *sana est Sanguinis*, & se
Provida subducit, dum *mala* missa foras.
Si *venere* à multâ, si Febris ab *Hercule* * multo * Labore.]
Vena *Laboranti nocte, dieq;* nocet.

Parcius

Parcius icta fluat, cum morbus & *utraq; Bilis*,
Cautè aperi venam, cum *Pituita, Dolor.*
Juventus. Queis *Senium*, atq; *ætas prohibent* * humoribus apta,
Debetur *Pueris, bisq; ita*, cura gravis.
* Senibus. Si *vacuare* jubet, si *causa* Revellere, *Acutis*
Est iteranda statim sectio Cauta *malis.*
Ut veluti *Populo in magno* cum *sæpe Tumultus*
Ortus, & in superos Indiga Turba furit.
Pacandis furiis *bis, strictus* vix satis *ensis*,
Et *Themis* est *uno* non satianda *nequam.*
Ductores scelerum præcidit *justa securis*,
Seu plures *salubris Crux, laqueusq;* capit.
Non *Animi*, non *ora* manent, Petiere latebras,
Atq; interruptus desinat esse furor.
Non ita *Divellens fac, Intervalla* placebunt,
Et poteris *venam* tutò *Aperire pedis.*
Sectiò *per vires* si *intuta; Cucurbita prodest*,
Transmittatq; malum *Scarificata Cutis.*

Pharmaceutica.

Pharmaca jam veniunt, quæq; *evacuare* probantur,
Quæ *mutare* solent, Carmina nostra dabunt.
Quatuor evacuant. Stomachus queis mundus & Alvus,
Quæ per *vesicam*, rem faciuntq; *cutem*;
An purgare licet fit Quæstio ? Pax erit & mox,
Si causam quamvis evacuare probes.
Cum *magnis venis* agitur res *Putrida, ne fit* :
Sed propter *stomachi* crimina *putris, erit.*
Cassia, Manna, Rosæ Sirrupus, cum *Diapruno*
Elect : & *Lenit-Catholicone* juvant.

Vomitorici.

Sit *Medicina Sequax*, si *nausea* sæpius urget,
Atq; Laboranti tum stomacho fer opem.
Nam *vomitus* præstat, quod non *Catharmata* possunt,
Augeæ stabulum mundat ubiq; potens.

Herculeæ

Herculeæ vires insunt, facile egeret omne,
Intus & existens, Oxymel atq; * Crocus.

* Sc. Metallorum.

Clysteres.

Per morbum totum *Clysteres* injiciendi,
Posticam malvis sæpe reclude Tuam.
At foro ut externo, non est *Pæanis in Aulâ*,
Festus ubiq; dies *judicialis* * erit.
Quando datur *Crisis*, *Deus Ægris otia fecit*,
Non sibi, nam coràm judice morbus adest.
Tradidit & *Fastos* quoscumq; volumine digno,
Doctus Apollineis *Heurnius* ipse sacris.

* Dies criticus.

Dieuretica.

Morbus ubi inclinat, *vesicam* ad vergere tendat,
Fæniculo, *Raphano* pergere faxo viam,
Et prosunt foliis *Absynthia*, Petroselinum,
Julepi hæc sapiant, juscula quæq; bibas.

Diaphoretica.

Cum natura cutem versus protrudere morbum
Destinat, *exiles* tunc aperito *fores*.
Solvantur Portæ, *Tenuis* nam Janua *Porus*,
Ostiolis Corpus *Mellifluisq;* fluat.
Sed non præcipiti Flumen sudore feratur,
Cardui amœnosè sed via *fiat Aquis*.

De Febribus Quotidianis.

Sicut *Aquæ potoribus* evenit, atq; *probatum*,
Ipsis & vires *Fontibus* esse suas,
Et gustus varios; nam Creditur *Hippocrene*
Præ cunctis lymphâ nobiliore frui.
Musarum latices, versus scribuntur & unde,
Simplice nam constat non Furor ullus aquâ.

Saltem *Quadrupedis* Generosos *ungula* fecit,
Sydere vel *Phœbus* Fervidiore ferit.
Solis ab influxu nam *Defæcatior* unda,
Purgata & modico frigore splendet Aqua.
Corpore sic nostro, cum digerit omnia pulchrè
Sol, calor ingenitus, Sanguificatq; jecur,
Sorte suà Rubri torpens contenta Canalis
Ultra præscriptum non *Pituita* tumet.
Humores *Acidi salsiq;*: quibus quoq; *dulcis*
Est *sapor* immiscent se, mediumq; tenent:
Accidit ut bibulis tum sæpe *Gulonibus*, æquus
Obruitur pastis, sorbilibusq; calor.
Et cutis injectis alimentis tensa laborat,
Mentiturq; *uterum* fœda *Saburra* gravem:
Mas Lucina fave stomacho succurrito Pæan,
Ut Derivetur Flumine mersus Homo.
Diluvium à potu (nisi Tu exantlator Apollo,)
Et pede languenti torpida vergit *Hydrops*.
Vel te *Lethargus* viscosis obruet undis,
Atq; Animæ Cerebrum non finit esse suum.

Causa Quotidianarum Febrium,

A nimio *Baccho*, jugulato & Causa *Falerno*,
Hocq; ferunt *Lymphæ*, seu *lupulata* malum.
Morbus utrisq; subest, Mala frugum Multa Cupido,
Plurimus & Piscis, si cibus esse solet.
Huic conducit iners ætas juvenilis, edaxq;
Brumaq; cum senio, *quod sibi semper hiems*

Signa Quotidianæ Febris.

Est *Pituita Mari* similis, spatiatur in amplo
Corpore, cui gliscens, Alveus, Alvus erit.
Est color affectis (nec enim bona candida cuncta)
Albus, & extincto membra Calore madent:
Occupat hos somnus, Somnumq; insomnia Aquarum,
Atq; caput lædunt heu *Catadupa* sua.

Nox

Nox & amica Malo, Noctis *Reginaq; Luna*,
Nam Furi similis sole abeunte furit.
Non tamen invadit tam fortiter ut prior hostis,
Naturæq; minùs noxa benigna nocet.
Frigoris accessus, sed in hâc non Febre, *Rigoris*,
Nec repetit refugus tàm citò corda calor.
Frigore disperso redit, ac si Aspergine Torris,
Extincto similis, sed tamen ardet, aquæ:
Principio urina est tenuis, mox crudior, alba,
Ascito tandem crassa calore rubet,
Est pulsus, tardus, parvus, rarusq; ; tumescunt
Undosâ cordi Febre propinqua loca. Sc. Pituita.

Remedia.

Indice quæ digito virtus monstratur, ut hic est,
Factura est Firmum, Credo, Palustre solum.
Fontem exantlabit cœno, venasq; reverret,
Immerso portum restituetq; suum:
Frigidâ, & humenti si vivitur in Regione,
Scriptori, ut nuper contigit, esse tuo:
Decoctum Chinæ, & Guaiaci temnere noli,
Terq; & bis denis cura diebus erit.
Divitibus longè sunt ista petenda *Petita*
Dices, nec *Gangem* cui libet ire vacat ;
Omnibus in terris natura benigna salutem
Conseruit, medicus quilibet hortus ager
Gratius *Angligenis* Factum (*Gerarde*) fuisset,
Herbarumq; tibi *Laureus* iste *Liber*,
Et titulo dictus Propriore *Botanicus* esses,
Nomen & addiderat Terra *Britanna* suum:
Specificas Patriis morbis si discere Plantas
Te monstante queat, quas sua terra ferat.
Nam satis herbarum, si quis cognoverit uti,
Credimus esse domi, *morsq; salusq;* simul.
Cum Chamæmelis Absinthia posse parari,
Hos tuus attulerit, *si tamen ullus Ager*.

Si tuus (ut mihi noster ademptus) at est Tibi *Mundus*
Hortus, nùm cuiquam Largior esset Ager?
Hic peragrare licet, multas & visere Plantas,
Sed dices, *poteris tutior esse domi.*

De Tertianâ seu Febre Intermittente.

Ut *Macrocosmi* spectatur in Ordine virtus,
Quum bene præstiterint justa Elementa vices;
Si *Phaetontæo* solaris vertitur Axis
Ingenio, mundus se pereunte perit.
Utq; *Gomorrhæos* gravis experientia monstrat,
Quod nullus Domino sævior Igne furit.
Atq; aliquando hujus flagrabit Machina mundi,
Concesso in socios Ignibus Imperio.
Sic Microcosmo metuendum, ne sibi felix
Unius humoris pugna nocere queat:
Seu *jecur*, inde *lien vicaria* commodat Arma,
Agnosci Dominum *Bilis adusta* cupit.
Obstruit & *rubras* furioso Fomite *Cannas*,
Intrat & audacter (cor) Penetrale Tuum.
Horis alternis bis senis sæviet Ignis,
Membraq; præmisso Frigore fracta stupent:
Horror inest aditu, tremebundos concutit artus,
Tum demùm in sicco cernitur Igne furor.
Cumq; à naturâ pugnabitur acriter hoste,
Cedit, & in calidâ fit via mollis aquâ.

Causæ & Signa Tertianæ, seu Febris Intermittentis.

Salsa alimenta nocent, generantur & Ignibus Ignes,
Qui sale vescuntur, sulphura chilus erit.
Siccatumq; jecur, non Rubri Fontis ad instar,
Sed quasi *Pyrites* durirt igne suo.
Si quando sociam *bili Pituita* ministret,
Tùm vehitur lentis flavior ignis aquis.

Spuria

Spuria Febris erit, longo tunc tempore pugnat,
Sed dat materies cruda minora mala.
Nec cursum refugus morbus tenet, insilit in se
Bile malè *mixtâ*, reduplicatq; vices.
Tuq; Ceres Donis, sic tu Pomona nocebis
Indorumq; obsunt *Orgya* sacra Deo.
Audax ingressus, multoq; rigore notandus,
Et calor intensus, tum sitis ampla sequax:
Bilis & ejectæ sapor ingratissimus, Alvi
Fluxus, & urina est Bile parente rubra.
Legitimæ æquales habitura haud *spuria* cursus,
Hora *Paroxysmis* longior hisce vacat.
Bile calent merá, velut in se promptior ignis,
His gravior multô, sed dolor iste velox.
Septem si rediit, *Crisis* datur optima, Finis,
Nec quenquam ad mortem destinat iste dolor.
Hoc Pater *Hippocrates* docuit de simplice morbo,
Quem fausto sequitur *nulla maligna* lues.
Extremis labris cùm Pustula turget, & ulcus,
Protrudi morbum significare velit.
Sed si postica (quâ convenientior ire
Non via) discedat, signa salutis erunt.
Sed si sponte negat, pellatur *Enemate* forti,
Sedibus est sordes ejicienda foras.
Sin Dolor *a jecore* infecto, aut *Felle* redundat,
Ulceribus possit mors malè grata capi.
Aut supra modicum replent mala pabula Bilem,
Aut *Cane*, & *æstivo sydere* membra calent.

De Remediis.

Vescere nunc parcè, *Sorbonæ filius* ac si
Esses, sic discas vivere * *sorbitibus*.
At majore cibo, cui *spuria* Febris, alatur,
Sed modicum *Duplex*, *strictaq*; Febris edat.
Accedit quando morbus, natura quiescat,
Humores satis est, concoquat ipsa suos.

* *Erasmus* in Convivio profano.

Nam

Nam perit aſſumptus tùm victus, vel vitiatur,
In Morbos abeunt iſta alimenta data.
Fine Paroxyſmi paſcatur tutius, ægri
Ni natura, cibi languida poſcit opem.
Syncope ceu calido vires malè læſerit æſtu,
Tunc *Panatellam* ad Robora ſume levem.
Abſtineat ſomno, potuq; ciboq; petitus,
Ante Paroxyſmum prorſus *Enema* juvat.
Et *vomitus* prodeſſe poteſt, *Aſariq; potentis*
Metallorum. Contuſis foliis, ne vereare *Crocum*.
Quæ prius *aſſiduis*, Febri huic Medicamnia proſunt,
Omnibus addatur *Tartareuſq; Cremor.*
Frigore qui reficit, felix & clauſa recludit,
Et deterſivâ commoditate juvat.
Ternio ſi duplex morbuſq; coïncidit, ipſo,
Fine paroxyſmi rite reſiſte *novo* :
Sic *diſceſſuro*, & venienti *occurrere* morbo ;
Ac ſimul à *tergo*, & *fronte* ferire potes.

Vomitoria.

Si vires conſtant, non eſt præſtantius ullum,
Quàm quod *per vomitum* fert medicamen opem :
Preſertim ſtomachum rodat ſi *Bilis amara*,
Se cupiens extra mittere, pelle precor,
Atq; reſiſtenti naturæ obſiſte, requirit,
Tùm medicas artes, auxiliumq; probat.
Experiare prius leviora, tepente reſultet,
* Amygdales dulcibus. * *Threiciâ* & motus ſi *nuce*,venter aquâ.
Obſtantemve *Croci* benedicta reſuſcitet unda,
Condita aut *Aſari pulvere* Jura levent.
Si *Croceis* jungatur aquis ſimul *uncia Senna*,
Fit via ſeceſſu, ſi capiatur *Ana.*
Si vero Herculeis exultet viribus Æger,
Mercurium Dulcem,Scammoniumq; probes.

De

De venæ Sectione.

Ni Calor extremus, vel sit Plethora timenda,
Principio, ut non est, *vena secetur*, opus.
Ante tamen *Septem* malè gratus viserit hospes,
Fac de Sanguineá sugere vasa dpae.

Cathartica.

Febris *Appollineis* si nolit cedere telis,
Sed totum poscit facta proterva *Deum*.
Ut sciat *Herbarum* subjecta *Potentia divo*,
Telluris quicquid vel *Penetrale* capit.
Agaricum, *Sennamq;* simul *Rhababarbara* misce,
Sirrupisq, Rosæ, *Cichoreoq; Datis*.
Juscula vel sapiant saltem, vel potio Fiat,
Convivant assuetus cui *Triduanus* erat.
Sive liene aucto tumeant *Hypocondria*, succos
Quo mulcere potes spondet *oliva* suos.
Asparagum, *Althaum*, *Malvas lenes*, *Tamariscos*
Et *Chamamelum* fer, *niveasq; rosas*.
Thestylis his herbis quamvis contundit olentes,
Quàm foveant succis Pectora lota suis?
Verùm adhuc incumbens *Mesaraeis* clausa *speluncis*,
Hæreat, aut *Hepatis* vult latitare *cavis*.
Enecet atq; morâ mox infelice, *Chamadris*
Attamen è latebris, *Cichoreaq; cient*.
Hoc Montanus ait, cum longa obstructio vexat,
Præstat mirificam mox medicamen opem.

Ovidius in Metamorphosi.

Clysteres.

Temperies cum sicca tibi, nimiumq; dolores
Protahit in menses *Bilis adaucta* suos,
Tutius abstineas multò *Catharmate* forti,
Accipias potius *frigiferanda* velim.

Humoresq;

Humoresq; suis moti *Clystere speluncis*,
Discedant sensim *Catholicone* Duce.

Balnea.

Balnea si nequeant, quæ sunt *mineralia*, haberi,
De tepidis *Thermas* fac tibi prorsus Aquis.
Extinguunt siccos humores sæpius usæ,
Insinuant succos, visceribusq; suos.

Diophoretica. Dieuretica.

Cum tamen obsistat malè *Symptomatica Febris*,
Sæpius & morbum viscera læsa novant,
Sudoris Ductus, *urina sive* sequetur,
Provocat à Medicis quicquid utrumq; cape.
Tum cape salvificam *Centauri* nomine Plantam,
Ceu *virtus* nomen *Centuplicata* dedit.
Carduus addatur, *Potumq*; *Absynthia acerbent*,
Dulcis erit, quamvis Res sit amara, salus:
Deniq; *Basilicam Mithridatis* sumito dosin,
Atq; amandetur, *Tertia Febris Abi*.

De Quartanâ Febre.

De Tribus, an Furiæ dicendæ, sive sorores,
Pessima *Quartana* est, Fila plerunq: secat.
Et sedet affectis in vultu *Tristis Erynnis*,
Luctibus & variis exagitare solet.
Prætenditq; facem terreno sulphure mixtum,
Ludit & in Piceo *flamma* Canale pigra.

Causæ.

Aut faciunt *Alimenta*, mala aut *Digestio* morbum,
Frigida cum siccâ *Temperiesq*; nocet.
Luctibus assuetæ mentes, vitæq; lugubris
Conditio, sibi non, non aliisq; placens.

Naturæ

Naturæ quando faciunt peccata dolorem,
Legitima eſt febris dicta, at *Iniqua* tamen:
Cum gelido, & ſicco *cholera* intermiſceat ignes,
Eſt *Notha*, contingit ſed vigor hiſq; *nothis*,
Naturæ vitio melius ſuccurritur Arte,
Humores tardos *Pharmaca longa* domant.

Signa.

Ordo *Paroxyſmis Quartana* noſcitur ipſis,
Legitima eſt quovis *quarto* oriunda die:
Dicitur & *ſimplex*, affligit *ſpuria* binis,
Dicta *duplex*, liber *tertius*, atq; dies.
Triplex degenerat, mutatq; retrograda curſum,
Nomine non damno *Quotidiana*, cluit:
Horridus accedit, longoq; rigore fatigat,
Fulcra & naturæ concutit oſſa dolor
Quando frequenter hias, laſſuſve extendere ſueſcis,
Scito adventuram, vel gravis Ipſe tibi es.
Febre laboranti mul ò felicior *Æſtas*,
Affinis morbo *Pharmaca* lædit *Hiems*:
Principio *urinæ tenues*, malè digeris inde,
Cum *Color Urinæ*, ne vereare, *niger*.
Extinguet morbum ſubrepens forte *Caducus*,
Ni potius *Glauci* hæc *Merx* metuenda magis.
Fax face deſtruitur, morbis quidni accidit idem,
Sanguinis & fluxu poſſe perire luem.
Naribus effuſus ſed Sanguis *pernicioſus*,
Humori craſſo nulla fit inde via.
Baſilicam tundas, ſi bulliat, ergò ſupernè,
Sanguinis id damnum fortè ſequatur *hydrops*.
Sed lethale venit, cui *ſexageſimus annus*,
Non ſatis ah morbi *Tempora tanta* putes?

De Remediis Diæteticis.

Frigida ſanantur calidis, humentia ſiccis,
Ludit in hâc pugnæ vitaq; morſq; , vice,

Si victum spectes, nemo ægrotare negaret,
Phasis avis, *Perdix*, *Agnulus esto* cibus,
Et quicquid juvenele parit natura benigna,
Cui modicè calidus succus, Adepsq; bonum est.
Buglosso, & *coctâ boragine jușcula* fiant,
Fœniculum & *Rapus* esse memento cibans.
Specificum quoddam *Rapis* Credetur inesse,
Si *Butyra* simul, *Sacchara* sive Capis.
A *Pomis* non omne malum, coque non mala *mala*,
Dactylus esto mei Carminis ergo bonus.
Dactylis & pasce diversi nomnis uvæ,
Non re, pro fructu *Ficus* amœna placet.
Succus *Amygdalinæ* prodest *nucis* usq; bibendus,
Nux *Moschata* loco, vel *Crocus* esto *salis*:
Insulsi Pisces, *Gallinæ gaudia* nixæ,
Et qui *Gallinis* non *Amor* esse solet.
Capo, Tibi prodesse potest, *Genitorve superbus*,
Qui * *Cristâ* exectum despicit omne genus.
Omnia ne admittas, quantumvis plurima Possis
Fercula; *Porcelli* non *Comedenda caro*:
Et fugiant lepores mensam, Cerviq; fugaces,
Præda Canum, at potius quæso sit esca mea.
Nec sale conditæ, aut Carnes Fuligine duræ,
Et flatu minimè *Brassica* grata suo.
Castaneæ molles & *Caseus* utraq; nequam,
Naribus aversis quodq; teratur *olus*.
Gallica vina bibas? sint rubra, vel Alba, sed in queis
Salsa parilla coqui, vel Tamarisca solet.
Tinge & *Agrimonii* folia, & *diluta* bibantur
Ferratâ, *vel aquâ* simplice mixta mera.
Delectus varius, minimus permittitur usus,
Tantum non inter *Tantalus* esto dapes.
Disce *avibus bibere*, aut Haustus sint *Cuniculorum*
De alterutris nimium vertitur in vitium.

* Cantu.

Catharticæ.

Cathartica.

Clementer primò tractandus acerbior hostis,
Clysteri an Cedens, ejiciendus erit:
Si coràm alloquio dignetur, *Potio* lenis
Missa sit in primis ad retegenda loca,
Et sedes Morbi *Meseraas* ingrediatur,
Conspirare solet Torpidus humor ibi.
Lustratis adytis possis indicere bellum,
Nuntia mittatur *Phlebotomia* priùs.
Atq; opportunè coeunt cùm *Cornua Luna*,
Sic ferias, ut pax forte secuta manum.
Et *dolus & virtus* Doctore requiritur, Humor
Motus ut ad Lunam, Migret *Alentis* ope.
Basilica, *jecori* male cum sit, *parce sinistra*,
Visceris ob noxam *brachia dextra* placent.
Sanguine lustrandum Parco, impuroq; litandum,
Ne calido extracto membra *lacessat hydrops*.
Auxilium quando Mesaræis pergere venis
Constitit, ad partes conciliandus *anus*.
Flandria ut accessus certi *Duynkirkia* capta,
Febris & a portâ *posteriore* ruit.
Ne nummis parcas, locus iste ut possit haberi,
Insidiis faciet *forsan Hirudo* viam.
Si *Postica fides*, non Proditione Patebit,
Tum *Salvatellam*, *Malleolumve* seca.
Longius obstanti mittatur *Plenipotensq;*,
Migrent Legati, *Absynthia*, *Senna* duo.
Ante Paroxysmum paulò internuntius adsit,
Hippocratis veniâ Pugna ineunda statim.
Nec metuas, si vis est firma, lacessere Febrem,
Pelida vel par Impiger *Hector* erat.
Sin conferre manum, Marte & pugnatur aperto,
Tunc *Asari* cineres, Arma probata, Cape.
Theriacon Tutò, si fit concoctio, detur,
Quo *Londinensis Pharmacopœa* præest.

Specificis pugnat felicior Heurnius iſtis,
Et prægustato provocat Arma *Croco*:
Sed *Rutæ vino* cedit victoria mixtæ,
Quamvis *Quartanam* juverit *hoſtis hiems*.

Unguenta.

Spina oleis dorſi præſcriptis proderit *unctus*,
Præſertim obſtructo *quæque liene* valent;
At Medicina, *manum ad* niſi detur, inutilis omnis,
Καρπιατρῖς noſtris ſi qua adhibenda fides
Et Docti medici *Carpis* ſua *Pharmaca* figunt,
Tritaq; *Sambucus*, *Salvia*, *Ruta* juvant.
Cum *ſale*, tum *vino*, prædictorumq; *Puſillus*
Sufficit, *urticis* acria vina valent:
Succeſſit Carpo cinctus *Ranunculus*, uni,
Senerte, an non hæc fœmina quæſo fuit?
Attonitis ſubito novi *terrore* repulſam,
Exploſo ſclopulo territa Febris abit.
Caſus & in foveam ceſſit bene *Nuperus*, *Urſus*
Dirupto & currens Fune tuliſſet opem:
Terribiles motus poſſunt ſubvertere *Mundum*,
Contractus quid non *ſpiritus intus* agit?
Et Microcoſmum totum exagitante Tumultu,
Cedat *majori Succuba forte minor*.
Deniq;, quo placidè poſſit *Quartana* reſolvi,
Sæpius in tepidis *Arida ludat Aquis*.

De Febribus Peſtilentibus.

Proſopopœia ad ſuos.

Qualis in humanis ſucceſſit ſedibus hoſpes?
Pandorane Dari non ſatis ante fuit?
Morborum Genetrix, quid enim de ſtirpe loquendum?
Simplicis unius non ſatianda nece.

Uritur

Uritur altera *Messallina* libidine fati,
Pro libitu populos perdit, ut illa, suo.
Quamvis contigerit jam raro tempore nasci,
Quod si vidisset *Scaliger* ipse probet.
Æ as, quæ cæli nullos sensura furores,
Jactat propitios semper adesse Deos.
Grassari pestem poterit mem nisse videri,
Si non sit Pestis non meminisse satis.
Nil .e monet nuper vastata *Neapolis*, & quæ
Orbis præ se fert esse superba * caput.
Collibus illa sedet, cœlo fruiturq; beato,
Nec tamen hanc pepulit Crux numerosa Crucem.
An saltem fratrum tandem meminisse potestis,
Qui *Genoæ* infantis stant monumenta mali.
Quas aras (*Libitina*) tibi? quot dira Sepulchra
Mox structura, & jam condidit ista lues?
Urbs quasi deductum sibi durum nomen ab *Orbâ*
Manibus, atq; umbris non habitata viris.
Ludere jàm vacuis Domibus *Mors* sola videtur,
Factus nolentûm ferre *Monarcha* Duces.
Quid peperit morbum rogitas? non Putridus Aër,
Nam mare submissum ad, nomen & unde, * *Genu.*
Oceani rabies, non est, non æquoris æstus,
Ni *Venere* à nimiâ, quæ *fuit orta mari.*
Nec præeunte fame socii λοίμός τε λιμός τε.
Nec Bellum intulerit, quod feret omne malum.
Lustratus raro terris impune Cometes
Non ibi visus erat, nec malè stella coit.
Non vapor è terrâ, rupto *Phlegetonte*, refusus
Tot nuper populis exitiosus erat;
Non lacus in causâ; nihil heu natura, nec Artes
Peccavere Deûm: A Civibus Ira suis.
Incusent fruges licet, *Arbor, Quisque, Reversa* est,
An fructus Crescat pejor Adulteriis?
Sic Cædes, fastus, nummorum sacra Cupido,
Mens ingrata Diis. Non satis ista Mali?
Ad pœnam urgetur *Nemesis*, quassoq; flagello
Frustrà, ferrata verberat ulta manu.

* Roma & Neapolis nuper peste vastatæ.

**Genoa* in formam genu ad mare prominet.

Discite justitiam moniti, non scita Magorum,
Nec quid *Aves*, quid *oves*, quid docuere *Boves.*
Quilibet *Augur homo* est, atq; *unusquisq;* *Sacerdos*,
Victima & ipsi nos, stringe, ferito *pecus?*
Occidat & *lupus*, occumbat fœdis *Caper* Aris,
Ebria *Sus*, & qui depopulatur *Aper.*
Simius & vestis, vultûs *Panthera* dometur,
Et *vulpes* satis heu fraude referta piâ!
Humanâ superis *Hecatombe* forte litandum,
Parcaturq; gregi: *Quid meruere Greges?*

Medica Consideratio.

Morborum ceu Ludus homo, Latruncula Pestis,
Regibus haud parcit, tollitur omne genus.
Discolor est Febris, Faciesq; similima ludo,
Et locus infœlix, Albus an Ater erat.
Diversis maculis ceu *Lynx* mala, devorat ægros,
Et non vitando vulnere sæva necat,
Ceu venit ad puras sedes immunda *Celæno*,
Invenit aut putres, Pessima quæque facit,
Morbus ubi non est, morbus sævissimus ipse,
Attollitq; alios, nec sinit esse suos.
Fungitur & plusquam *Basilisci* vulnere cæco,
Et visus prior heu! inficit, atq; videns.
Oh miseros homines, quibus hæc solatia dempta,
Interitu nullos lædere posse suo!
Defunctos vivosq; simul Contagia tangant,
Esse nec insontes post sua fata licet:
Innumeros inter tulerit quos nostra *Malignos*
Ætas, hoc mirum non *Cacoethes* habet.

Causæ Febris Pestilentis.

Dicta sit humorum, sed Prodigiosa Mephitis,
Quâ non Temperies frangitur icta semel,
Passa vices miseras, mutatâ & saucia sorte,
Sanguinis accessu hôc integra massa perit.

Consternata jacent vitæ Fulamina nostræ;
Et venit a Signo certa Ruina dato.
Cætera Putredo quasi fit cum *Bacchus* acessit,
Hic abit in *Vappam* nobilis *uva* meram.
Sed neglecta potest vel quælibet esse maligna,
Febris, at hæc non est facta maligna, venit.
Tabi præcedit, quandoq; & larga veneni
Transmittit virus (*Prodiga noxa*) suum.
Menstrua ut Iconem maculabunt lumina claram,
Uvaq; conspectâ suave sorore rubet.
Ac sibi inhærentes spinas emittit Echinus,
Et retinet stimulos, queis fera pungit, Apis.
Sic exire foras retrograda visa venena,
Atq; specum repetunt, unde ruêre, suum
Emphaticè Pestis dicatur & *ista*, suisq; ,
Ut *Dæmoniacus*, mox aliisq; nocet.
Et Par *Dæmonibus* fœdâ Dominabitur Aulâ
Pestis, in amœno & gaudet adesse loco.
Corruptæ hospitio sedes placuere Paratæ,
At si non tales invenit, illa facit.

Causæ Febris Pestilentis.

Internis oritur Pestis lenissima causis,
(Si quid lene potest dicier, unde dolor.)
Nascitur in nobis naturæ Pessimus hostis,
Humoresq; omnis sunt *Elementa* mali.
Nam Cachochymia sparguntur quando vapores,
Nec recipit quicquid vena, refertve boni.
Ductibus obstructis, quæ sunt *Spiracula* vitæ,
Non transit clausas Aura maligna fores :
Si superet *vasa* & *vires Plethora* redundans,
Et Putri ejecto Sanguine membra dolent,
Impedit an quidquam, tanto præeunte paratu,
In sedes *Dominam* * jure venire suas.

* Sc. Pestem.

Evenit

Evenit externis (quod non mea Carmina possunt)
Causis, & pugnant contra Elementa Reum.
Vestimu unde, *Aer*, stat multi Criminis *ultor*,
Atq; *oris diras* verberat *Aura mala*.
Faucibus impuris toties Commissa, refundit
Cœlum, sunt Culpæ tela retorta meæ.
Vendicat heu flammas quoties *Volcanius Ignis*,
* *Conjugis huic* quamvis est quoq; *bubo suus*.

* Veneris.

Nausea supplicium est *stomachi*, *vomitusq;*, *voracis*
Dantq; suæ pœnas sumpta *Alimenta Gulæ*.
Æther arma Capit, non *Enses* quando videntur;
Nubibus aut currit cum *Cataphractus* Eques:
Hæc quoq; portendunt, sed quando mitior Aura,
Est *Medicos* ventos non habitura suos.
Sistit & immotus (Deus est in flamine miti)
Proderit & *ventis* Aura Agitata *bonis*.
Noxius aut cum se puro intermisceat Aër,
Strangulat hunc missus tum Phlegetonte vapor:
Sic calor, atq; humor (quamvis his vita Fovetur)
Si semel excedant, tristia fata ferunt.
Noxia sunt *semper* loca fœta *madentibus Austris*,
Venit & omne quidem non *Aquilone* malum.
Asciscunt & non *humata Cadavera* mortem,
Proferet interitum *Terra* negata *levis*.
Quantum à *Sentinis* patimur, fœdisq; *cloacis*,
Aut ubi mors non est, *stercore* quando latet?
Felices certè populi, quos despicit *Arctos*,
(Quantumvis Ursus Bestia fœda satis)
Tuti Aquilone suo, qui purgans flamine puro,
Non fœtere orbis Posteriora sinit:
Longius at justò, male si Septentrio perflet,
Aura potest Scoto sæva nocere minis.
Condensata cutis nullos missura vapores,
Intus conclusâ Frigora Febre luit.
Hoc vel Semesi Nares, unguesq; rigore
Monstant, quos miserè tristior urget *Hiems*.

Hoc docuit nobis etiam Groanlandia nuper,
Posse ursos ibi, sed non habitare viros.
Febris causa datur, cum *Alternis* volvitur *Annus*,
Aura modo est *humens*, mox magè *sicca* viget.
Intermittentem quasi Tempora passa *dolorem*,
Incertas præstant sæpe Elementa vices.
Non placet in sese velut *angue* Reverteret Annus,
Hoc *Serpentis* habent *Posse nocere* Dies.
Devia vel quando fertur Natura, suetæ
Immemor & legis, Tempora justa negat.
Commutatq; vices, *Soles* cùm *Frigore* torrent,
Et Rigida *æstivo* Tempore sævit *Hiems*.
Motibus adversis fit conturbatio status,
Quid prodesse potest, quando Tumultus agit?
Et nescit dubius, quo sit sub sydere tutus
Humor, & anne *ursam*, plus metuatve *Canem*?
Nam *nihil ad nos quæ supra* hic, non posse teneri,
Astra Regunt Homines, Imperiumq; probo.
Scilicet *Astrorum prorex*, vicarius Aër,
Iratum ostendit sæpius esse Jovem.
Triplicibus telis subjecta in Corpora Pugnant
Quando Giganteum provocat Arma scelus,
Influxu, *motuq*; suo, certantq;, *Calore*,
Et Bellum indicit *Præco Cometa* geri,
Non ficti, falsiq; tenax est *Nuntius Ardens*,
Sed verò, & certò damna futura notat.
Ocyor & nimbo, pernicior *Alite Divo*, Sc. Mercurio.
Præmonitis populis dicta Ruina venit.
An non Augurium viget hùc Celeberrime * Tycho,
Portenditq; meos Cassiopæa Dies?
Namq; capax cum sit *calidiq;* & *Frigoris Aer*
Sicci, *atq; humentis*, Sydera quæq; luit.
Tempestas igitur mutatur Sydere forti,
Et *Metamorphosis* non aliunde venit.
Hinc est qui cecinit *nam * vos mutâstis & illas*,
Tam Collaudata fabulæ origo suæ:
Saturnumq; suos Crudeliter esse *nepotes*,
Et *Patrem* Regno Deposuisse * *Jovem*.

* Ticho Brahe nobilis Danus & Astronomus incomparabilis.

* *Ovidii* in Metamorphosis.

* Domini Verulamii Franc. Bac.

Non aliud monstrat *notissima* Fabula cœlo,
Quàm *Planetarum* mutua bella geri.
Sanctus ait *vates*, *Diversos Syderum honores*,
Scilicet unum alio posse valere magis.
Gloria & inde sua est, quamvis concurritur à se,
Ut Domini præstent Debita jussa *Jovis*:
Astronomusq; sacer mirù n patiensq; * *Dolorum*
Asserit *Arcturum*, Pleiadas esse docet.
Nimborumq; facit, Tempestatumq; potentes
Stellas, urinâ quæ malè nomen * habent.
Ille etiam causas Hiemis, Pluviæq; , nivisq;
Grandinis & diræ, Fulguris , & Tonitrûs
Ascribit *causis* (cùm cætera nostra) *secundis*,
Fassus at *in stellas* Imperium esse *Jovis*.
Noxia naturâ non fas est dicier Astra,
Et nihil Artificem quod probat esse Deum.
Fonte boni propriè & *per se* mala nulla oriuntur,
Respectu nostri dicitur esse malum.
Sic ut Comburat, vitio non vertitur Igni :
Fax licèt oppositis viribus usta ruat.
Conditio nostra est Impar Congressibus altis !
Fortior est quamvis stella, ideone mala ?
Non potis in noxas *stellarum Debilis Aer*,
Corrupto semel heu *Aere* cedit Homo.
Ingens Æacidæ telo jacet *Hector*, at illa
Laudatur virtus vel licèt Hoste fuit :
Quid quæso virtute suâ peccaverit *Astrum* ?
Si cado majori percitus Igne minor.
Incusare Deum nec fas est, quod mea sors est
Impar, nec detur viribus esse Parem.
Frigoris Impatiens, extremorumq; Calorum
Cùm non sum, ideone in Crimine *Sol*, & *Hiems* ?
Privatæ quicquid naturæ apponitur, & si
Destruit oppositum, est Antipatheia bona.
Paucorum damno Communis non ruit Ordo,
Everti mundo sospite *Troia* potest.

Jobus Idumæus Patientiæ proverbium & Adag.
* Constellatio dicta Orion.

Naturæ

Naturæ quamvis leges violare molestum est,
Quæ servatricem læta spospondit opem.
Legislatori præscriptio nulla ferenda est,
Atq; *obstante* suum *Nemine* pergit opus.
Plecti per *partes* possit Sceleratior orbis,
Olim qui *totus* Numina læsa luet.
Frendere & indignum est, neq; enim *lex justior ulla*,
Artificis, cum fas, *arte periret opus*
Nec quicquam prosunt levis Argumenta momenti,
Peccârunt Aliqui, Plectitur omnis Homo:
Des *unum insontem*, qui *vel se judice liber*,
Illæsoq; illo perditus orbis erit.
Altera causa oritur subiti multiq; pericli, Hor. Si fractus illabatur, &c.
A *rarâ aut densâ Conditione Cutis*:
Corpore ab exili Calor effluit, at cute Densâ
Nil transpirari clausa fenestra *finit: *Sc. pori clausi.
Si *retinenda* fluunt, vel si *excernenda* manebunt,
Natura officiis functa repente ruit.
Non *gliris somni*, *Catuli aut vigilantia* tuta,
Non *Epicureum* sis, *Cynicumve* pecus:
Humorum genitor *Morpheus*, velut humida nox est,
Contentos *minimâ nocte* Fatigat opus.

Signa Febris Pestilentis.

Sirenum facies morbo, sed desinit *Anguis*
Suspectum semper, cum *minus Ardet*, habet:
Vafra lues Medicis quandoq; imponere possit,
Urino-vatem fallere *micta* valent.
Pulsus & interpres non *fidus* cordis, eundo
Nil docet, aut mendax falsa Referre placet:
Corporis *is status*, qui fallat sæpius ægrum,
Ut moritur, quàm se sentiat *ante* mori.
Morborum *Dominam* Signorum magna Caterva
In Pompam variis, Concomitata, datis.
Ut solet electo *Comitatus Posse*, Regenti
Plurimus adferri, quo celebretur, Eques.

 Rebus

Rebus in humanis *Epidemica noxa* triumphos
Sic agit, & Morbi *Credita Signa* ferunt:
Ut *Sopor* atq; sitis, *Capitis tùm, Cordis & ἄλγος,*
Nausea cùm vomitu, Syncope, languor iners.
Sudores, Fluxus, Deliria, Lumina rubra,
Singula quæ noceant, hic coiere mala.
Ordinis & Morbi *majoris* sponte merentur,
Et Tribuunt Sociam *ulcera fœda* manum.
Hepatis est Legio *Rubro* Dux prima *Colore,*
Vestibus & Flavis Proxima, *Fellis,* erit:
Angina & sanie Corruptus *Pulmo, Phrenitis*
Stant *Fronte,* & Fluxus ultima habere loca:
Utitur auxiliis, nec fert Socia Agmina solùm,
Sed sibi conscripta est Exitiosa cohors.
Vexillumq; suum Feralis *purpura* * tingit,
Aut *bellum Signo* deteriore gerit.
Aut in Crudeles Agit *Exanthemata* Campos;
Deformemq; aciem *Pustula* crebra facit:
Sed cùm Castra petit * *Dux,* notus *Aquilifer illi*
Bubo, modo *Aquila* nomine dignus erat:
Et lethale Tumens *Carbunculus* , inguine fixus,
Quæ duo si videas, *Alea jacta necis.*
Deniq; prædictis si sit Convulsio magna,
Si subitus linguæ, seu manuumq; tremor,
Aut si Lumbrici, pecus ah sociale Sepulchris!
Apparent, Morti castra locanda time:
Nausea perpetua, & lati fastidia victus,
Significant stomacho Facta venena cibos.
Urinæ species si livida, nigra, oleosa,
Atra fæce sedens, exitiale canit.
Hydrops ad matulam, si febris non minuatur,
Continua interitûs sunt Cataracta notæ.
Si venâ sectâ Sanguis purissimus exit,
Et vitio nullo tingitur iste cruor.
Intrò demonstrat conclusa venena valere,
Cordis inaccessis & posita esse locis.
Dicuntur maculæ faustæ, infaustæve colore,
Mors at cedentes retro secuta notas.

* Scil. maculæ purpureæ.

* Pestis κατ' ἐξοχήν.

Vultus

Vultus Bubonum fœdi, quibus ulcera juncta
    Si Cordis teneant Proxima, Signa necis:
Liveat & si quis Carbunculus, ore Saturni,
    De Grege Mercurii te numerato brevi.

Remedia.

Prudenti Medico numen non sufficit unum,
    Propitius Janus sicut Apollo fuit;
Lumine, stellato, si fas, oculatior Argo,
    Undiq; Morborum ut Conspiceretur Io.
Aures atq; Manus quot Fama, Geryon habetq;
    Judiciumq; daret docta Minerva suum;
Noscat ut internè, quid saltem læserit extrà,
    Pro chartis lectis quælibet herba foret.
Et Salomonæi laudis, simul æmulus Artis,
    Tantum non sciret sic Muliebre genus.
Corpora ceu pleni victûs ratione labascunt,
    Ceu Cacochymiæ culpâ Alimenta nocent.
Ceu Tempestati tribuatur Origo malorum,
    Quam benè Whartonus sciret Ephemeridim.
Sanantur tunsâ Plethorica Corpora venâ,
    Ægros præmissum sæpe Catharma juvat.
Humida plus nimio medicantur Corpora siccis,
    Densatisq; ferunt uda alimenta bonum.
Præmoniti fugiant Epulones Fercula sueta,
    Et sibi jam medicus corrigat ipse gulam.
Nec Cereale licet, nec Bacchanalia vivas,
    At Tua ne omnino Festa Lupercal erunt.
Nec somno (quamvis placidissimus ipse Deorum)
    Alcidæve, licet Tutior ille, lita.
Humore à vario si longa obstructio vexat
    Quorum Crassities, Copia, Lentor obest.
Evacuare bonum est, quando fit Copia culpa,
    Acri crassities attenuanda dato.
Hærentemq; citum Pituitam Pharmacon urget,
    Atq; abstersivis fit via facta statim.

Si cœlum in culpâ est, peccatur si Jove multo,
Affligente uno Fert Deus alter opem:
Fac tibi Volcanum reperito Fasce benignum,
Quando in Conclave est, Aura creanda tibi est.
Si Phœbus radiis exusserit omnia claris,
Frigeat asperso Fervidus Amne focus.
Fac pluat in Camerâ, vel ad ignes docta Puella,
Quos potius vellet, ventilet ista domum.
Si quando fœdo corrumpitur Aura vapore,
Bombardæ explosæ tum bonus usus erit.
O utinam sacer is tormenti & sulphuris *autor*,
Hanc solam inventi perdocuisset opem.
Purgando cœlo prosunt incendia crebra,
Non ideò tua sint tecta Cremanda Tibi,
Consumunt ignes, odor alterat acta venena,
Disjiciuntq; gravem Fulmina missa luem.
Cedere sed potius cœlo est, quibus altera sedes,
Queis est una pice, & Thure Adolete Domum.
Theriacâ nares tingantur; *Rutaq*; *Tusa*,
Vel salvere jubet *Salvia* trita manu.
Sed clypeum nobis *Domini Semptemplicis* unde,
Quo defendantur noxia tela tria:
Non simplex hostis Pestis, sed in Arma coëgit
Febres cum Tabo, & dira venena simul.
Morbitim aggrediar, ne sit congressus iniquus,
Postulat *Alciden* vis *Acheloa* triplex.
Obstandum Febri quo dicitur antea *victu*,
Condita at solis juscula sunto Acidis.
Temperies ægro si Fervida sit minus, & si
Corpore *Plethoro* noxa maligna viget,
Ne metuas Limphâ mixtâ jugulare *Falernum*,
Quamtumvis vino noxia, tuta lui.
At Febre intensâ, qualem indicat Arida lingua,
Tunc acidis, vino parce levare sitim.
Sed sunt qui janctant capto Medicamina *Baccho*,
Atq; vel extremis sæpe levâsse *Deum*.

At casu certè, non stat ratione probandum,
Nec medicum eventu posse carere velim:
Hoc suo si cuiquam tulerit Medicina salutem,
Hispanum idcirco debet Amare diu.

De venæ Sectione in Febre Pestilenti.

Ut si forte bibas (nam nemo sobrius unquam
Sponte venena bibat) *Phlebotomia* mala est.
Sic quando cæco hoc perstringimur igne, redundet
Ni *Putredo*, Tibi à Sanguine noxa venit.
Verùm multigenà venis Putredine plenis,
Si sint Humorum toxica, Sanguis eat.
Principio morbi transmigret sarcina tota,
Sive sit accenso viscere forte Timor.
Non sic si Pestis vestrâ Dominatur in *Aula*,
Compertum est sectos interiisse statim.
Cumq; *Galenus* ait vehementi Peste, ferire
Languorem usq; licet, junge Maligna nisi:
Quantumvis maculæ, sive Exanthemata visa.
(Si sit multifluus Sanguinis iste latex)
Inq; dies licitos ebullit transfugus humor,
Expelli cupiens, vena secata juvat.
Post quartum ne tunde diem, sit præsto levamen,
Aptis inq; locis Fige Cucurbitulam.
Podicis at multò melius sugenda Papilla,
Infantis verò sumat hirudo locum.
Visceribus, Pestis, veluti latet ipse *Cupido*,
Posticâ & cupiet promptior ire via.
Vesicas placuit multis emungere sero,
Hanc prior invenit *Vespasianus* opem.
Sed si *Cantharidâ* vis procitare meatum,
Ne noceat videas Aureus iste Culex.
Contusus Raphanus matulæ bene notus Amicus
Provocat urinam, Fæniculiq; juvant.

De

De Purgativis Remediis.

Principiis morbi, quia crudior, & minus apta
Pelli materies, nec bene cocta fluit,
Hippocratis placitum Patris est, *Purgamina* cessent,
Clystere humori est præripienda via.
Ni primâ regione fluat perplurimus humor,
Tunc tutò exagites *Catholicone* foras

Remedia in Putredinem.

Cynthia providit renovatis Cornibus aucta,
Credita cum fratis Lumina vibrat aquis,
Ne limosa palus Pontus stagnaret, at Æstus
Excitat, atq; jubet, quo volet, ire mare.
Obsequiturq; sequax, & ductilis unda regressu
Pura fit, & motu clarior ipsa suo est.
Ni satis hæc, tribuunt vicaria munia venti,
Permissumq; illis exagitare fretum.
Corpore in humano sic *flumen Sanguinis* est Par,
Quod repetit fontem *Cordis*, ut unda mare;
Principio vitæ motus refugiq; reguntur,
Et pro *Zodiaco Circulus* iste suus.
Sauguinis obstructo sed putri fæce Canale,
Ut ventus, segnem Spiritus intus agit.
Sicut & immundum Purgatur Fulgure cœlum,
Et sua sic Medicus Fulmina, *Sulphur*, habet.
Atq; *Sales* chymici, *nitratum vitriolumq*;
Et *Tormentillam*, sclopus ut ista sonant.
Galenusq; onerat Tormenta salubria Plantis,
Nunc *Pimpinellâ*, Cichoreaq; levi.
Tundit *Acetosam*, *Buglossum* rite *boantem*
Scordia, & expultrix sit *Scabiosa* Luis:
Nec *benedicetur* dosis, nisi *Carduus* adsit,
Herbaq; quæ foliis quinq; superba suis;
Ut gustum sapiant, addantur *Citria mala*,
Et sine *Prunella* non bene mensa *sale* est.

Sed

Sed quibus ad victum mollem muliebre Palatum,
Nec præscripta mihi Formula tersa satis,
Ægrotare licet cum vulgo, vescere nolunt !
Sint Gallinarum juscula cocta modo hoc,
Cum *Pimpinella*, foliis *boragnis*, herbis
Suavibus & gustu, *Citria mala* cape.
Demulsiva juvant, quæ lenit *Amygdala* dulcis,
Semina Julepis Frigida & adde tuis.
Atq; venenifuga ista inter semina misce,
Ut *Citrum*, *Napum*, *Carduum* itemq; *sacrum*.
Nec minor est *Quanto*, quam *Quali* vescere, cures,
Esca etenim nimia est, id genus omne, mala.
Dogma sit & *medicum*, *Digito compesce labellum*,
Intret dentatas quodq; salubre fores.
Ne sit *Ovis functa scabie*, aut *Porrigine Perci*,
Neve *suis*, Dubius cui pater, esca Tibi.
Quin fructus vites, quibus est *Autumnus* iniquus,
Quo maturescant Solis & igne carent.
Quantas divitias nobis dat *Bartholomæus* ?
Atq; indigestis plebs satiata *pyris*.
Utq; *ingesta* nocent, magè non *digesta* nocebunt,
Sicut ut *Egestum*, si malè *se Alvus* habet.
Profluvio obstructo Sanguis Retrogradus obsit,
Fæmina seu Medico flumine, Masve * caret.
Vita animum tristem, *nulla est medicina dolori*,
Plusq; fame, ac bellis inficit ipse metus,
Ipse facis tristis, Tibi, quod nec frigus hiemsq;
Cogeris ah *trepidus ne moriare, mori*.

* Scil. venis podicalibus obstructis.

In venenatam & Arcanam Qualitatem.

O utinam quoniam jam de expultrice veneni
Scribitur, & vires ut *Mithridatis* erant !
Toxica cui toties victum gustata dedere,
Grataq; mandenti *Pharmaca cœna* fuit;
Rippingo, aut saltem *Walwyno* affine Palatum,
Cui dederit modicas vilis Arachna dapes.

 Corpus

Corpus Alexandri aut Magni, hinc cognomine digni,
Quod benè ſpirantem fecit Aroma cutem.
Vel mihi ſaltem Artes, *Empericus* unde Joannes
Aleâ at exceptâ, per fora lucra capit.
Sed mihi non animus, non ſaltem Robora tanta,
Nec, quo conductus ſit mihi Capo, Domi eſt.
Nec domus ulla, niſi quod jam tegit omnia, cœlum,
Conq; ---Tubernales Sydera grata placent.
Legerit at ſiquis Latii Civilia bella
Pugnata, & fauſto Cæſare ſcripta, Duce,
O utinam poſſim vel tantum dicere Legi,
Talibus auſpiciis ſive legenda fore!
Vincere ſcire docet *Generi* fortuna Beati,
A *Socero* poſſis diſcere rite Pati:
Lucanus poſuit nobis *Pharſalica* caſtra,
Et quibus haud favit, Cæſaris acta canit.
Sic veſtros Hortos ſupplet, *Danbee*, *Gerardus*,
Barkeroq; meo eſt *Corneburienſe* nemus.
Litera proq; meis Divina *Philippica* * Libris,
Quam mecum ſemper geſto, ubicunq; via eſt,
Conſiliumq; ſequor veſtrum, *Celeberrime Bati*,
Harveidiſq;, cui nomina * caſtra ſonant.
Et mihi poſt nullos, *Stephane*, extollende ſodales,
(Qui plus quàm medicas auxiliare manus)
Egregiè *Boughtone* places, & nomina chara
Stanlei, *Coxi*, Deliciæq; tuæ;
Cambria, *Lewellinus* utroq; in *Apolline* præſtans,
Jackſoniſq;, & nunc *Oxonienſe* decus:
Ordo pedes noſtros etiam decorabit *Equeſtris*,
Napperus * medicam comprobat ipſe chelyn.
Et Baptiſtiolam *Mauritius* * optimus ornat,
Collegamq; ſuum, Comedicumq; probat.
Et *Dominum*, *Dominamq*; * meam, te *Brokie*, jacto,
Bathurſtiſq; *duos*, *Prujanoſq*; * duos,
Et *Lydellus* adeſt, *Conyerus*, ſic *Elyotus*,
Et *Northamptoniæ* fortè *Levinus* agro.
Et tu qui *Hippocratem* calles, *Metforde*, per unguem,
Græcariq; doces rura, nemuſq; rude.

* Epiſtola inſtructionum medicarum à *Doctore Philippo Parſons* Scholari ſuo Autori ſcripta.

* Dr. *Scarborough*.

* Eques *Auratus* & Dr. Med.

* Eques *Aurat.* & Dr. Med. Scil. à quo in Comœdia *Faceliam* Amores meos egregie egerit.

* Contumax Syllaba cur repugnas! *Martial.* in ep.

Mapletiq; mei gratus favor excitat, urget,
Brewerusq; salus corporis atq; , animæ ;
Atq; Otomanorum te *Edvardum* veste saluto,
Purpurâ & Oxoniæ *Tearnus* honorus adest.
Non satis hi dices, librorum ? plus satis, ohe !
Bodleiana vale, hi *Bibliotheca* mea.
Sed quoniam restat doctus *Barlous Amicus*
Non dico longùm *Bibliotheca* vale.
Copia Librorum dum detur, sufficit unus,
Autoremq; sequi, verbaq; jussa placent.

Explorare licet num fracta venena venenis,
Frigida an expellant Fervidiora loco.
Castella ut Cordis sint Munitissima, primò
Prospice, *Coralium* quod bene præstat opus.
Terra Sigillata est, non quæ *damnata*, probanda,
Sed quæ *Lemniacis* effodienda cavis.
Tormentilla gravis tantum Cognomine, Quinq;
Et Radix Foliis, *Armeniusq;* bolus;
Cum virtus insit tùm Frigida siccaq; dictis,
Astringunt, Firmant corda, venena domant.
Frigida succedunt mage jam subtilia, succus
Limonii, & quo Alpes Ruperit Annibale ;
Et quodcunq; acidum, sic *Sulphure* spiritus ortus,
Et de *vitriolo* vis generosa cito.

Virtutis Calidæ, vincenda *velut Face Fax est*,
Proxima, per poros toxica missa fugant.
Pugnanti Cordi sunt hæc *Pratoria*, vitæ
Præsidium, & *Physees Cæsariana* cohors :
In medias acies si erumpat acerbior hostis,
Milite ad extremam hôc cogitur ire cutem.
Ut spes ægrotis de morbo certa triumphi,
Angelica auspiciis Prima præire cupit.
Proxima Pila tenet, Quid enim felicius illo ?
Carduus, Agnomen cum *Benedictus* erit:

* Zedoaria. Tum venit Radix * ultra Garamantas & Indos,
Sinensi longè nave petita solo.
Scordium & ex undis, *Pratis ulmaria lecta*;
Dictamnum à *Creto* monte Salubre satum.
Virtutis raræ, propriæ quam ignare salutis,
Prætuleris Cornu Saucie *Cerve* Tuo:
Fortis & in Tabem *Scabiosa*, nec Auspice verbo,
Theriaca. Versaq; in Auxilum *Supia* dira tuum.
Experti Regis Mithridatica Pharmaca tentes,
Heu tibi si non Rex, Angelica atq; juvent:

Deniq; *Specificâ* quæ vi sunt prædita, dicam,
Queis non temperis antea dicta viget:
Indita sed virtus, qualis Magnete videnda,
Quæ sibi ferra trahit, nescia at unde trahit:
Ignari gestant *medicalia Cornua Cervi*,
Nec propter carnem, & fercula sola Placent.
Dentibus utque *Elephas*, Preciosis naribus *Alter*,
Dives in exitium, *Rhinocerosq*; perit.
Bezoar atque lapis, communia Toxica pellit,
Deucalionis homo vilior estq; lapis.
Hæc sed non omni, non prosunt omnibus usa,
Personæ ratio, Tempori habenda simul.
Frigida naturâ, quæ sicca, volatile quodq;
Morbi incremento, Principioq; bona.
Quæ caluere magis peragunt sudoribus & rem,
Conveniunt, Febris quando videtur *Apex*.
Cum duo deposcant operam, *Febrisq*;, *venenumq*;
Attentis oculis Cautus utrumq, notes.
Febre Valente Acidis melius pugnatur in illam,
Algentesq; herbæ tum placuere magis.
Tunc Sudorificas, calidasq; remitte medelas,
Donec vis morbi consitit esse minor.
Cum virtus (virtus si sit dicenda) maligna
Plurima, *Pestifugis* abstinuisse malum est:
*Lapide Bezoardico. De * *Lapide hoc medico*, quot sunt miracula dicta?
Non laudes plures Grandis *Elixir* habet.

Sed

Sed fato meliore parant hanc Pharmacopolæ
Quam chymicum Inventum, nemo fit inde miser.
Ditescunt granis vendaces pluribus emptis,
Indis quando ipsis *rara* avis *iste lapis.*
Contigit è contra, *Malagâ* qui vina Reportant,
Queis mercatores sæpe onerâre ratem;
* Cæcubi at illustris cum Merces rara videtur, *Scil. vini Hispanici.
* Præter opima nihil, vendere caupo potest. *.Canary.
Si cupias gustare cadis de mille receptis,
Amphora non Malagæ, non datur una tibi.
Nescio *Castorea* an data Prodigiosa Facultas,
Reliquiis Romæ ut contigit esse sacris.
Baptista Capiti ut, sic & de *veste Josephi,*
De *Leprâ mirâ, Claviculisq; crucis.*
Posse Augere datur, Templis multisq; videri,
Pariaq; in æternum Congenerare sibi.
Talia si possint fieri miracula, mirum est
Hæreticis Testes multiplicare *feræ. * Castoris nempe.
Catholico Captus si *Castor* Pharmacopolâ,
Testiculis detur forte redire *tribus.*
Credibile est potius, nam longùm ludere nolo,
De *Contrayernâ* vendita mixta juvant.
Radix, quæ propriâ virtute venena fugabit,
Quam *Castor* solers Pabula grata facit.
Testibus Attrahitur *Bruti,* vis indita *Plantæ*;
Quanta sit, Orbiculis vis bene nota Tuis?
Castor-contrayernæ? quidni mi Pharmacopola?
De *Polluce* quidem *Castora* fecit *Anus.* Mart. epigr. de Gabinia.

De variolis & Morbillis.

Quæ nova scribenti succedunt monstra Poetæ?
Africa in Albionem Transfuga, fertne feras?
An *Metamorphosin* patitur Gens *Anglica* fœdam!
An veteres *Pictos* jam Rediisse liquet?
Vix Faciem video, quin *Fama* Creditur esse,
Aut *Luna,* maculis perdito *Amore* malis. *Sc. Endymione.

Vel

Vel Panthera ſuos de pelle exuta colores,
Vultibus humanis tranſtulit orba notas?
Emptarum an non jam macularum vana Libido,
Stigma hoc & in pœnas Lynx muliebris habet?
At Dominæ quæſo ne formidate Tenellæ;
(Quantumvis Formæ convenit iſte metus)
Eſt nil quàm læſos non condonabile vultus,
Spretaq; vel facies nil veniale minus.
Id facit, ut ſpeculum miſeræ frangatis iniquum,
Manet alta & Virg. Hoc Dominam iratam Franget, itemq; Reum:
Non à Syderibus vultûs deformia fictis
Signa hæc procedunt, eſt aliunde malum:
Credetis Dominæ? vos *intus* & in cute Fertis,
Quod ſolet externam commaculare cutem.
Quodq; utero toties geſtatis, Fronte Timetis,
Uteri & *Sanguinis menſtrui.* Hæc ſunt * *Arcanæ* Publica ſigna Domus:
Pignoribus charis, quibus ubera grata tuliſtis,
Quamquàm ignota, tamen vulnera prima datis.
Partibus haud aufert Labem *Lucina* ſecunda,
Sanguine quæ infantem, non lavat hac maculâ.
Id eſt infimi. Quod licèt à lumbis generetur Patris iniqui,
Sanguinis hoc vitium Progenetricis erit.
Libera non *Helena eſt*, non eſt *Lucretia* Pura,
Tantum *una* his maculis immaculata fuit.
Ergo Progeniem *cœlo* cognoſcite *Patre*,
Virg. Maria. Nec ſine prodigio *Virgine Matre* ſatam.
Partibus omnigenis ſuut incunabula fœda,
Hæc labes vitæ *prodroma* certa meæ;
Vel Defæcatam maculant *Contagia* matrem,
Ut gravida, infanti ſic gravis ipſa ſuo eſt.
Nutrimenta ferunt hunc ſecum *m*[illegible]*rua morbum*,
Creſcit & adnato Corpore cæca lues.
Nec *Genitor* ſerit hunc morbum, qui ſemina ſpargit,
Quæ duraturum, ſi vitioſa, ferunt:
Longos inq; dies remanent *ex Traduce* Morbi,
Peccatum veluti Progenitale fuit.
Natorum natis, & qui naſcentur ab illis
Deductum eſt *veneris* Crimen in omne genus.

Ut

Ut *rata* & immeritis cedunt *Patrimonia* natis,
Queis Patres lethúm, dando dedere bona.
Non tantæ noxæ est materno è Sanguine morbus
Niq; superveniant fata Maligna, Favens.
Auraq; *Specifico* quoties induta veneno,
Attollit morbum, variolasq; gravat.
Sunt, quibus est *cœlum* tanto candore *benignum*,
Purgat inhærentem, nec sinit ire luem.
Pustula sed quoties corrupto fonte scaturit,
Tam levis, ut facies spreta, nec icta dolet.
Felices Indi, *occiduus* quibus *Hospita Titan*,
Grataq; lethalem non feret Aura luem.
Sed vitá meliore frui dat morbus *Amicus*,
Ejecto *ingenito* leniter *hoste* foras.
Donec ad *Hispanos* ditio translatá *Monarchas*
A *Mauro* didicit sæva necare lues.
Obrigit *Æthiopi* postquam uni *noxa maligna*,
Occiduos perimit tum *Spoliata* lues.
Et dubium, *indigenis* magis exitiosa subactis,
Auri vena sacra, an *Sanguinis* utra fuit?

De Causis Variolarum & Morbillorum.

Sensus utriq; patet cum nomine, & inde vocantur
Variolæ, à vario ritè colore cutis.
Tubera cùm faciunt salebrosum turgida vultum,
(Nullus at in facie *nodus Amoris* inest.)
Morbillis Etymori nec duritus accidit ipsis,
Vel quòd parvi ipsi vel Puerile malum.
Et licèt exigui ast insunt contagia parvis.
Inficit & grandes noxa Pusilla viros
Namq; idem Pueris corruptus Fons, & adultis,
Et citò cognatam Pustula lædit ovem.
Mensibus evenit, quo Tempore clauditur Alvo,
Qui solet excerni stagnat inersq; cruor.
Matre etenim gravidâ, *purgamen* quod fuit ante,
Fit demum infanti, non sine labe, *cibus*:

Quid

Quid Sperare licet? cum pabula sumpta venenum,
Et liquidum infantis *Fascia* virus erit?
Objicis, unde igitur *Mater* secura maneret?
Toxica gestaret nonne nociva sibi?
Obstructa est aliud, quam mox *sentina reclusa*,
Hinc *via lata* datur *Facibus*, inde *at obex*:
Profluvium prodest, Matris confertq; saluti,
Polluit Infantem, quæ modò facta *Palus*;
Morbos Inquiris, cur non patiamur *ab ortu*?
Nec *Panthera* statim nascitur, atq; *Puer*?
Non utero, non morbus inest, sed semina morbi,
Quæ successivo tempore fructus erunt.
Non instante Color minimis vel frugibus adsit,
Sed *suus* & *solis* perficit ista *Calor*.
Sic sparsum primò latet inter membra venenum,
Non se augere capax, nec viget usq; malum.
Ast ubi convaluit, viresq; acquirit, & ardet,
Naturæ pugnâ dignior hostis erit.
Tunc bellum parat, & se conspirantibus affert,
Vexillo & Febris versicolore furit.
Quando novum infusum est in Mucida vasa Falernum,
Attrahit ascitam nobilis *Uva* luem.
Tunc meminisse sui *Patris* Euchius incipit, & se
Corrumpi ostendit, nec potuisse mori.
Exerit innatas vires, exæstuat irâ,
Nec mora, Fæx spumâ pulsa superna natat.
Non aliter *Natura* suum detruserit hostem,
Devictiq; locat Transfuga signa cute.
Non eadem tamen est Depulsi Forma veneni,
Diversa, ut varia & Tela, Fuere *notæ*.
Sanguine pugnatur cum crasso, campus abundat,
Variolis, opus & Pustula grandis agit.
Sed cum subtilis, *feroq*; similimus obstat,
Morbillos tantùm Præda pusilla dabit.
Non quia vi Alterutrum caret, est minor ira, malignâ,
Paria sed non sunt Arma, eademq; manus.
Matereis odiis minor, ac cum *fœmina* pugnat,
Et Faciem, tamen haud *ense*, sed *ungue* ferit.

Humida crassities alit *Exanthemata*, nævos
Sed non optandos languidus humor alit.
Quando res intus agitur, civilia bella,
Et cum *Naturâ*, & *Sanguine* pugna mala est,
Ut *Mare* per motum vesicis mille scaturit,
Atqui ex allisis æstibus orta *Venus*,
Sic Rubrumq; , jecur, mare bullit, & ejicit à se
Sentinam, expurgat Colluviemq; suam.
Cedentemq; urget, cogitq; è sedibus ire,
Lite tamen nostra est heu spoliata * *venus*, * Facies.
Sanguine perdomito impuro victoria læta est,
Et *medici* est instar *Pustula* grata suis.
Si modo frangantur vires, Hostisq; supersit,
Ejiciendus adhuc, bella iteranda nova:
Auxiliis opus est, cingatur ut Integra laurus,
Quod fit perfectâ Deditione *Luis*.

Signa variolarum & Morbillorum.

Civili in statu prædoctus quilibet, ipsas
Annibale ad *portas* belligerante, sapit.
Presentem narrant visa *Exanthemata* Febrem,
Tyndaris & maculas astupet ipsa suas.
Se plane ægrotare satis sciat, imminet at cùm
Sive secuturum prodroma signa loqui:
Judicis hoc medici est; qui quid peccatur in Aurâ,
Diceret, irato seu *Jove* morbus Adest:
Seu faciunt *Elementa* luem, quæ conscia statûs,
Mox infecturos inficiuntne magis?
Tempora nam quædam nostris *affinia* morbis,
Qualia contigerint Nupera, causa luis.
Æstate in mediâ Frigus, Brumâ redit Æstas,
Vertumnus verum *devius Annus* Agit.
Hinc nuper talis nobis *Epidemica Febris*,
Cui nullum Medicâ nomen ab Arte venit.
Retrò quæ nunquam viderunt sæcula, nunquam
Aspicient tales, spero, futura vices.

Sed quia lethalis multis tamen accidit , unde
Venturi eſt, vereor, prodroma cauſa mali.
Nuntia variolas toties comitata frequentes,
Morborum Dominam non procul eſſe probat ;
Præterea ſpondent *Brumalia* fulmina nuper,
(Ni *lævum* nobis *intonuere*)malum.
Cum *Jovis* accenſi toties præiére miniſtri,
Credibile *eſt lanam diripuiſſe pede.*

Tempora in his morbis grandi & Frontalia pulſu
Urgentur, ſolitò plus dolet atq; caput.
Torpor adeſt, ſomnoſq; graves *inſomnia* terrent,
Et *Tremor*, & *pungi* ſe putat æger *acu*,
Perq; *dolor dorſum* fertur, *Rubor* inde Calorq;
Et contracta malo *Spaſmate* membra dolent.
Si *Facies* inflata *Tumet*, ſuffuſa Rubore,
Pruritusq; ſedet lumine utroq; levis.
Maxima, Sanguinis *Ebullitio*, cauſa doloris,
Emiſſuſq; velut per freta Rubra vapor.
Occupat aut Morbus partes, & triſte venenum
Spargitur, *inverſa* eſt *Morus* ut *Arbor*, Homo.

Signa fælicia.

Aſt egreſſa cito ſunt *Exanthemata* fauſta,
Cum matura juvant, præcoqua ſæpe nocent.
Præſertim ſi Febre levi, ſubitoq; abeunte
Sive parum fractâ, Puſtula fœda venit.
Si ſpirare licet, nec voces faucibus hærent,
Rubro, mox albo ſuntq; colore notæ.
Non ſic in Reliquis eſt grata Rotunda *Figura*,
Elatuſq; levis Cuſpidis, Omen, Apex.
Si contenta cutem maculant *Ecthemata* tantùm,
Fructibus & fœdis interiora carent.
Proſpera ſperari poterant, res ſalva, licebit
Saltet, non extra limina ſueta *Puer*
Perdidit innumeros novus, & præpoſterus aër,
Et mutata ægris lintea ſæpe nocent.

Signa Inauſpicata.

Febre auctâ verò poſt *Exanthemata* pulſa,
Significat venis plura venena ſita.
Concomitata notas etiam *Dyſpnæa* Patentes,
Pulmoni ſatis hoc conſulit eſſe malè,
Anginamq; ſequi, aut præcludi guttura morbo,
Aut vires lapſas ſuccubuiſſe lui.
Sed ſi naturam contra diſſolvitur *Alvus*,
Variolis viſis, Fata propinqua time.
Nec lethale minus portendunt *micta cruore*,
Gingivis, aut ſi Naribus iſta Fluant:
Hæc *Acri* venas monſtrant bullire *veneno*,
Et vires preſſæ ſe exonerare velint.
Puſtula cunctando perdit, victrixq; triumphat,
Cum rarò & tardas exerit ipſa notas:
Materiam ſuperare tuos, *Natura*, labores
Indicat, & nixu cedere nolle Tuo.
At maculoſe Puer, *multùm tu Crede Colori*,
Puſtululis dictis multa adhibenda fides.
Livida, ſeu viridis, ſeu quâ nota nigra videtur,
Contigit utq; *Fabis* ſic, Tibi *prava Faba eſt*.
Si ſe *ſubducant* viſa *Exanthemata*, lictâ
Et *retrocedunt* exteriore cute,
Prupureas maculas ſi Puſtula jungit Achatem,
Urina in fundo *livida fæxve manet*,
Atrum ſive Canem fugito (ſi tum fugiendus)
Aſperius Dominâ, credite, Bile nihil,
Tum magnum ſpargi ſatis eſt per membra venenum,
Et vix infecto ſufficit una lues.
Devovet ipſe Artes morbo ſuperatus *Apollo*,
Pandoraq; ægrum, *Mercurioq;* dedit.

Remedia.

Omne malum nobis peccante humore venire
Constat, qui errores corriget, unde Datur?
O utinam affectos frugalis Lescia Conjux,
Tentaret modici vel Documenta cibi!
Proh mutata, fidem! quoties jentacula morbum
Plenior & victus fata dedere cita!
Ne *vocalis* erit, facit *Indulgentia matris*,
Ut *Butyrato* sæpius ore perit.
Nam si non nimiâ fauces præcluserit ipsi
Artochreâ, puero, nec mora morbus adest.
At tandem sapiat, simiosq; exosa favores,
Dediscat nimiò mater Amare suos.
Vel saltem morbo hoc monita indulgere cavebit
Quem dederat lucem, & lumina ante data.

Dicta *Diata* juvat, quæ Febri est utilis omni,
Nutrici an potius Regula scripta foret?
Huic duo præscribo, ne sit *via Lactea* Baccho
Fervida, nec Capram *Cypride* * olere sinant.
Proxima cura ægris, *Caleantq;* Cubilia vellem,
Ut poris laxis halitet inde malum.
Atq; amandetur *Cameris Subfrigidus aer*,
Atra *repercussâ* mors aditura lue est.
Non *nimia vestes*, ne Corpora Febre calescant,
Nec *minima*, denset ne Aura inimica cutem.
Sic *pannisq;* tegi *Rubris* prodesse probatum,
Fertur Pisciculo, sic voluisse capi;
Commendatur *ovis* quoq; custodita cubili,
Virus ut attrettet, ne meus esto cibus:
Quid ni conditus *cepis* prodesset *ovillus*
Armus! vel *grege* plus attrahit istud olus?
Atq; *Insolatis Ficis* sint Hordea cocta,
Sed *cornu cervi*, si fera febris adest.

* Scil. Lact. venere multâ inquinari.

Carica

* Carica vi felix duplice, expultrice veneni ;
Primo homini vestis fit, reliquisq; salus.
Nam morbum petere *ipsa* cutem facit, attamen omnis
Non bonus est * *ficus*, Ficus at una bona.
Cum maculæ emergunt, potior *vigilantia somno*,
Par Argo facies, par vigilando foret.

*Genus ficus.

* Ficus pro morbo.

Sanguinis, haud aliter, nisi Copia larga supersit,
Per viresq; licet vena secanda Tibi,
Ante fit à maculis Eruptio, sit celebranda,
At non si febris sponte minuta fuit.
Variolis ruptis, si non *Symptoma* sequatur,
Naturæ possis parcere ferre manum.
Naturâ medicus non *ipsâ* Tutior ullus,
Sufficiens in se, si viget, omne ad opus.
Sed cum pestiferis oneratur noxa venenis,
Eclipsin Passæ Tympana grata * Deæ:
Tundere fas venam, cum *lotia Rubra videntur*,
Dirum portendunt, *Phlebotomia bona est* :
Ast omnis non ferre potest, nec sustinet ætas,
Sævus *in Infantem* ne vocitere Pater;
Herodes noli, noli *Saturnus* haberi,
Dente alter natos, Ense sed ille ferit
Porcellis in Febre suâ *prior ille* pepercit,
An magis est *Gallo* Lenis Apella Pater ?
Nefrendemve ferire nefas Porrigine Putrem ?
Infantem & simili fasne ferire *lue* ?
Ast hæc Parisiis Doctoribus ampla medela,
Sed *Consanguineis Gallia sæva suis.*
Angligenæ Matres non concessere maritis
Tale quid audendi ; *Zippora* tela negat.
Si quartus, quintusve placet, permittitur, annus,
Antè, locum teneat *Scarificata Cutis*.
Quantos clamores impacta *Cucurbita* tollit !
Dicitur elumbis vase adeunte Puer.
Viso scalpello, conspecto mater & Igne
Occidit, at puero tùm bene pergit opus.

* Scil. Lunæ patienti Corybantes in auxilium æra sonabant.

* Ut Gallicis medicismos est in tenellula ætate venam secare.

De

De *Catharticorum* Remediorum uſu in *variolis*.

Dum valet expultrix naturæ firma Facultas,
Ad *centrum* Febrem non revocare bonum eſt:
Cuncta cutem verſus, veſtigia nulla retrorſum
Tendant, *Poſtica* lædit Aperta via.
Evacuare valens debes, non Febre valente,
Purgamen morbo ritè præire ſolet;
Sic expurgatis prius iſtis fœcibus, Ipſa
Natura intendit ſana potenter opus:
Si ſic inſtituas, cape tunc medicamina blanda,
Sintq; Tamarindus, Caſſia, Manna, Roſæ.
Decurſu morbi ſi pigrior aſtupet Alvus,
Vel lacte ad motum ſolicitare potes,
Abſq; ſalis facient mixturâ melq; Butyrumq;
Et paſſis uvis Hordea Cocta levant.
Deniq; morbillis eadem Ratioq;, Medela &,
Avertat *Deus* hos, & magis, atq; minus.

FINIS.